# I.

## THEOLOGUMENA EURIPIDIS.

---

Euripidis tragici de diis placita perscrutaturus cum maxime dubitem, multa afferre ac disserere, quae quantaque fuerit poetae in animos popularium vis atque potestas, quod iam satis superque usque ad satietatem a viris doctissimis de ea re multa collecta ac proposita sunt, id unum moneo, magnitudinem illorum temporum, quibus ad rempublicam servandam augendamque viri, quales erant Themistocles, Aristides, Cimon, Aeschylus, Sophocles aliique, omnes nervos viresque contendebant, evanescere atque magnam omnium rerum mutationem fieri iam coepisse; bello enim Peloponesiaco homines, qui tunc erant, rerum novarum nimis studiosi, in illa maiorum instituta, quae viri illi antiquae virtutis pie ac religiose sequebantur, in dies magis invehebantur, arbitrati aliam legem normamque in rebus publicis privatisque et sacris esse observandam, ut Protagorae illud „πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος" magis magisque patere coepisset, quare factum est, ut homines tunc temporis legibus institutisque non se esse subiectos putarent, sed sibi leges. In iis autem viris, qui citato gradu omnique impetu ad id impetrandum ferebantur, nominandus est Euripides, qui quamquam ipse ad rempublicam nusquam accedere voluerat, tamen in tragoediis suis res ad id tempus popularibus inauditas ac novas cum de rebus publicis privatisque tum de natura deorum tam saepe protulit, ut opiniones illius, quamvis initio vituperatae ac improbatae, paullatim tam leniter in animos Atheniensium se immitterent, ut postremo omnes in ea, quae Euripides nova docuerat, inclinarent atque vel acerrimi poetae obtrectatores obmutescere coepissent. Eam ob rem quid Euripides de diis sentiret, quacunque possum diligentia cum enarrare mihi proposuerim, rem ita instituam, ut quantum fieri potest ipsa poetae verba afferam. Sed priusquam ad id me succingam, quaerendum est, quae Euripides personis fabularum tribuit, num ea poetae ipsi tribui possint. Ab aequalibus quidem fere omnibus id factum esse videmus, cum propter ea, quae personae in scena loquebantur, a laudatoribus laudaretur poeta, vituperaretur ab obtrectatoribus; homines enim illa aetate, haud curantes, num quae in scena fiebant, et loco et tempore et personis tragicis commode agerentur necne, omnia, prout animo



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erant affecti, aut repudiabant tanquam deis moribusque patriis repugnantia, aut probabant ut vera ac laudanda, atque ea, quae ipsi respuebant, ne ab iis quidem personis dici voluerunt, a quibus commode apteque dici potuerunt; huc accedit, quod Euripides iusto saepius per omnes tragoedias dubitationes et religionis antiquae institutorumque receptorum vituperationes, quamvis hoc illove loco a moribus actorum abhorrerent, libenter consultoque dispersit. Quod dixi verum esse, multa exempla docent, quibus apparet, a spectatoribus multa dicta factave poetae crimini versa esse, quibus ad personarum et partium locorumque conformationem nihil ingeniosius dici potuit; ut unum apponam, cum Hippolytus dixisset „ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος" (Hipp. 612), magna spectatorum indignatio in poetam, qui ista dedecora finxisset, et in actorem, qui pronuntiasset, excitata est, quamquam Hippolytus hoc loco id pie et religiose dicere potuit; aliud exemplum narrat Senec. ep. 115, 14. 15 cfr. Naegelsbach, nachhomerische Theologie p. 438 sq.

---

## Caput I.

# De origine mundi et interitu.

§. 1.

Non solum philosophos, sed etiam fere omnes deinceps poetas alios alia ratione de mundi origine vel de cosmogonia quae dicitur multa disseruisse, inter omnes, qui harum rerum aliquam habent cognitionem, satis constat. Ex eo numero est Euripides, qui per tragoedias suas multa de origine omnium rerum quae cerni possunt, placita dispersit, quae quidem plurima ab aliis vel poetis vel philosophis mutuatus est. Inter omnes autem philosophos, qui illo tempore, quo Euripides fabulas docere coeperat, florebant, et magnitudine animi et ingenii subtilitate maxime excellebant Heraclitus et Anaxagoras, quos Mnesarchides, priusquam Socratis disciplina uteretur, in physicis potissimum secutus est. Cum vero Aeschylus et maxima ex parte Sophocles opiniones de mundi origine et placita de diis ex iis fontibus perciperent haurirentque, qui tunc temporis ex sacris Atticis et arcanis et popularibus quam uberrime emanabant, iisque fabulis, quas pietas ac religio commendabat, quam maximam fidem haberent, Euripides aliam viam ingressus ea, quae de mundi origine Atheniensibus in fabulis suis proponebat, ad eorum philosophorum doctrinas revocavit, qui fabricam totius mundi maxime ex physicis quae dicuntur causis exortam esse censuerunt. Qua re factum est, ut quam maximis laudibus eos, qui in terra cognoscenda operam studiumque collocabant, in iis versibus efferret, quos ex incerto dramate Clemens Alex. servavit. [1]) „Ὄλβιος, ὅστις, Γῆς ἱστορίας ἔσχε μάθησιν, Μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνας, Μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν· Ἀλλ' ἀθανάτου καθορῶν φύσεως Κόσμον ἀγήρω, πῇ τε συνέστη. Τοῖς γε τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν Ἔργων μελέτημα προςίζει." —

[1]) cfr. Valck diatr. in Eurip. perd. dramatum reliquias p. 28.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Acerbissime verum castigavit Euripides eorum opiniones, qui sola ex materia mundum exortum esse arbitrati mentem puram et infinitam, quam primum Anaxagoram induxisse satis constat, ex mundo et procreando et gubernando excluserunt; quod testantur verba, quae apud eundem Clementem leguntur [2]) *„Δυσδαίμων, ὃς τάδε λεύσσων Θεὸν οὐχὶ νοεῖ . . . . . μετεωρολόγων δ' Ἑκὰς ἔρριψεν σκολιὰς ἀπάτας, Ὧν ἀτηρὰ γλῶσσ' εἰκοβολεῖ Περὶ τῶν ἀφανῶν, Οὐδὲν γνώμης μετέχουσα. —*

§. 2.

Maximi vero momenti ad id, quod demonstraturus sum, confirmandum, Euripidem universi originem ex duobus principiis exortam esse putavisse, est fragmentum 883 [3]) *„Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ, Ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ, Ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους Παραδεξαμένη τίκτει θνατοὺς, Τίκτει δὲ βορὰν φῦλα τε θηρῶν, Ὅθεν οὐκ ἀδίκως Μήτηρ πάντων νενόμισται“* [4]) „terram, ab aethere gravidam factam, ex se omnia procreasse et animantia, et inanima, unde haud iniuria mater omnium rerum mominetur.“ Eodem spectant multi ex Euripideis fabulis loci, quibus demonstratur, Aethera, qui vulgo Iuppiter dicebatur, ex terra omnia procreasse: *„κορυφὴ δὲ θεῶν ὁ περὶ χθόν' ἔχων φαεινὸς αἰθήρ* (fr. 976); i. e. aether, qui terram ut maritus complectitur: nec aliter *„Αἰθέρα καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω* (fr. 990),“ *„καὶ Γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι* (fr. 997)“ *„καὶ πνεύματα καὶ φοινίους ἔχει ῥοὰς Τὰ ζῶα πάντα καὶ γονεῖς ἐνδείκνυσι Κοινοὺς ἁπάντων Οὐρανὸν πέλειν μέγαν Καὶ Γῆν* (fr. 995); Hel. 906 *„κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσιν βροτοῖς καὶ γαῖα. —* cfr. Phöen. 686, Bacch. 292; hoc loco *αἰθήρ* nomine *οὐρανοῦ* inducitur, quocum conferas fr. 487 *„κοὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα, Ὡς οὐρανός τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία·* [5]) *Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,* [6]) *Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος Δένδρη πετεινά, θῆρας δ' ἅλμη τρέφει Γένος τε θνητῶν.* — Haud multum interest, a poeta eundem aethera alio loco Iovem esse nominatum, Anaxagorae enim magistri exempli memor Euripides quam maxime cavebat, ne deos a populo receptos aperte impugnaret; itaque in fr. 836 legitur: *„ὁρᾷς τόν ὑψοῦ τόνδε ἄπειρον αἰθέρα Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραις ἐν ἀγκάλαις· Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τὸν ἡγοῦ θεόν. —* cfr. *ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε, κόρα, Ζεὺς ὃς ἀνθρώποισιν ὀνομάζεται* (fr. 1047).

Priusquam autem e terra aethereque omnia exorirentur, et hoc universum in suas partes redactum esset, nihil erat nisi rudis indigestaque moles, ut Ovidii verbis utar, quod apparet ex fr. 450, *„οὐρανός θ' ἡμᾶς ὑπέρ Καὶ γῆ, βροτῶν κοινόν τε δαιμόνων θ' ἕδος· Τὸ δ' ἐν μέσῳ τοῦ τ' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς Χάος μὲν ὀνομάζουσιν,* et l. c. *οὐρανός τε γαῖα τε ἦν μορφὴ μία. —* Cum vero

---

[2]) Valck. l. c. p. 30.

[3]) fragm. ed. Dubnerius, Paris.; — tragoed. ed. A. Nauck.

[4]) ignem illum sempiternum, ex quo Heraclitus hunc mundum conflatum esse censet, haud multo ab hoc aethere vel coelo discrepare puto. *Ἀναξαγόρας μὲν τὸν ἀέρα πάντων φάσκων ἔχειν σπέρματα καὶ ταῦτα συγκαταφερόμενα τῷ ὕδατι γεννᾶν τὰ φυτά,* Theoph. hist. plant. III, 2. — cfr. *ἢ τὰ πάντα τίκτεται, θρέψασά τ' αὖθις τῶνδε κῦμα λαμβάνει,* Aesch. Ch. 119 ed. Herm. — *παμμήτωρ γῆ,* Aesch. Pr. 90; cfr. 1095; — *ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, μᾶτερ αὐτοῦ Διός* Soph. Phil. 391.

[5]) *Ἀναξαγόρας λέγων ἀπ' ἀρχῆς· „ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα· πάντα γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν, ἀμφότερα ἄπειρα ὄντα* etqs. Simpl. l. c. 336.

[6]) eadem fere sententia est Heracliti dicentis, teste Plutarcho Is. et Osir. 48, ex dissensione et separatione omnia orta esse.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex chao quod dicitur, inquit poeta, quisquis fuit, duo illa elementa, terram et coelum vel aethera, diremisset, tota rerum procreatarum congeries ex illis elementis originem ducere coepit „ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα, τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν ἐις φάος etqs. — Quis vero ille fuerit, qui primus ex rudi illa rerum mole terram et aethera secrevit, ostendit fragmentum 593 „σὲ τὸν αὐτοφυῆ τὸν ἐν αἰθερίῳ Ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ', Ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία Νὺξ, αἰολόχρως ἄκριτός τ' ἄστρων Ὄχλος ἐνδελέχως ἀμφιχορεύει" [7]) eum autem deum, qui aliunde vitae originem non repetit, nisi ex se ipso, qui in aetheria sede collocatus naturam omnium rerum complectitur, quem lux noxque et ingens stellarum turba semper circumsaltat, eum igitur deum iam Clemens Alex.[8]) recte interpretatur puram illam mentem a materia semotam, quae primo ab Anaxagora inducta ipsa immota ponderi illi inerti motum iniecit.

Interroganti autem, qua ratione omnia ex terra et aethere nata sint, tragicus respondet, terram et aethera, cum separati essent, artissimo cuiusdam connubii vinculo ab Amore ita coniunctos esse, ut aether velut maritus terram uxorem suam humidis brachiis complexus omnia ex ea procrearet, terra autem cum a marito guttas roris accepisset, genetrix omnium animantium ceterarumque rerum fieret. Quae disputavi ut demonstrarem, haud a re esse duxi, aliquot versus huc spectantes afferre: „ἡ ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους παραδεξαμένη τίκτει θνατοὺς (fr. 883); — ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τὸν δ' ἄπειρον αἰθέρα Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραις ἐν ἀγκάλαις (fr. 836); — κορυφὴ δὲ θεῶν ὁ περὶ χθόν' ἔχει φαεινὸς αἰθήρ (fr. 976); ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ· Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο· Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταὐτὸν δύο, Φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα, Δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος. (fr. 839. v. 6 sqq.); — ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου αἰθέρος (Bacch. 293); qua de causa passim in tragoediis Euripidis terra nominatur mater (Hipp. 601, Hel. 40, Phoen. 686).[9])

Si igitur poeta in mundi origine aetheri terraeque primas tribuit partes, haud minor iudicio eius est vis amoris; eius enim sola opera factum esse, ut parentes illi ad procreandum se converterent; qua re intelligi potest, cur Euripides numen Amoris, Veneris filii, maximis laudibus extulerit, adeo ut eum in deos hominesque dominantem induceret. „Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται, Οὐδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω Ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται, καὶ τόνδ' ἀπείργειν οὐδ' ὁ παγκράτης σθένει Ζεὺς, ἀλλ' ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται (fr. 449 b); — Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων

---

7) Ἀναξαγόρας — ἀρξάμενος οὕτω τοῦ συγγράμματος „Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησεν" Diog. L. II, 6; cfr. Plut. de placit. phil. I, 8. — Τὰ μὲν ἄλλα παντὸς μοῖραν μετέχει· νόος δέ ἐστιν ἄπειρον καὶ αὐτοκρατὲς καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι, ἀλλὰ μοῦνος αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ ἐστιν etqs. Anax. ap. Simplic. 336. — Πάντων νόος κρατεῖ (l. c.). —

8) Valck. l. c. p. 42.

9) Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα, Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν· Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν Ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς Μῆλόν τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον, Δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου Τέλειός ἐστι· τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος (Aesch. Danaid. fr. 45 ed. Herm.); — Τιμᾶς δὲ χρὴ ἀρήγειν ..... γῇ τε μητρὶ, φιλτάτῃ Τροφῷ· ἡ γὰρ νέους ἕρποντας εὐμενεῖ πέδῳ, Ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὅτλον, ἐθρέψατ' Οἰκητῆρας ἀσπιδηφόρους πιστοὺς ὅπως Γένοισθε πρὸς χρέος τόδε. (Aesch. Sept. 16 sqq.) Ὦ φάος ἁγνὸν καὶ γῆς ἰσόμοιρ' ἀήρ. (Soph. El. 86).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ὑπέρτατον, Ἦ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν (fr. 269); — Ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον Ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον, Ἔρωτα, πάντων δυσμαχώτατον θεόν (fr. 431); — Σὺ δ' ὦ τύραννε θεῶν τε κἀνθρώπων, Ἔρως etqs. (fr. 135). [10]) Volitat Amor super terram et alte tonans super salsum mare, mulcet hominum animos et naturam catulorum et in montibus degentium et marinorum et quidquid terra alit (Hipp. 1270 sq.); nec ignis nec siderum supernum telum tale est, quale iaculatur e manibus Amor, Iovis filius (Hipp. 530 sq.). Huc quoque spectat pulcherrimum illud canticum, quo poeta laudes et suavitatem et potentiam Amoris eximie canit, sed longius est, quam quod ipse adscribam, Valckenarium, totum carmen p. 250 apponentem, adeas. —

Cum autem puer a poeta tot tantisque laudibus obrueretur, fieri non potuit, quin etiam aliqua illarum laudum pars in matrem illius redundaret eaque inter eos deos numeraretur, penes quos permagna erat potestas: φοιτᾷ ἀν' αἰθέρ', ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ Κλύδωνι Κύπρις, πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ. Ἥδ' ἐστὶν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' ἔρον, Ὅν πάντες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔκγονοι (Hipp. 446 sq.); — συμπάντων δὲ βασιληίδα τιμάν, Κύπρι, τῶνδε μόνα κρατύνεις (Hipp. 1280 sqq.); huc referendum est praeclarum illud carmen, quo chorus in Phaethonte fabula Veneris laudes canit „τὰν Διὸς οὐρανίαν ἀείδομεν Τὰν ἐρώτων πότνιαν, τὰν παρθενίοις Γαμήλιον Ἀφροδίταν· Πότνια, σοὶ τάδ' ἐγὼ νυμφεῖ' ὀφείλω, Κύπρι, θεῶν καλλίστα, Τῷ τε νεοζύγῳ σῷ Πώλῳ, τὸν ἐν αἰθέρι κρύπτεις Σῶν γάμων γένναν (fr. 775, v. 15 sqq.); — „τήν Ἀφροδίτην οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός; Ἣν οὐκ ἂν εἴποις, οὐδὲ μετρήσειας ἄν, Ὅση πέφυκε κἀφ' ὅσον διέρχεται. Ἄυτη τρέφει σὲ κἀμὲ καὶ πάντας βροτούς (fr. 839 v. 1—5); cfr. fr. 337, 161. [11])

Sed redeat disputatio, unde aberravit. Insigniter igitur aether et terra, fabricatores huius universi iidemque parentes hominum deorumque, ex quibus omnia, quae vigent, vim vitalem hauriunt, in omnibus Euripidis fabulis praeter ceteros deos summis et laudibus et honoribus efferuntur, quod si memoria tenebis, haud dubito, quin multis locis magnum accessurum sit lumen. Eam ob rem aether sacer nominatur, (Iphig. T. 1177, Hippol. 745, Bacch. 409, fr. 491); [12]) Ceres, quae aliis locis terra dicitur, deorum est maxima (Bacch. 274); aether est domicilium Iovis ceterorumque deorum (Bacch. 394, Ion. 2, fr. 491), in aethere Iuppiter ex Leda Helenam procreat (Hel. 215), imago illa Helenae, qua et Graeci et Troiani decepti sunt, ab Iunone ex aethere conficta est (Hel. 585); ob eandem causam sexcenties in fabulis Euripideis lamentationes precesque in aethera emittuntur (Andr. 93, El. 59), terra et sol simul cum Iove invocantur, ut aut precantibus auxilium, aut poenam scelestis hominibus ferant (Med. 146, 1251, Phoen. 1296, suppl. 260, El. 678, 867, 1177, Heracl. 748); per terram Medea Aegeum iurare iubet (Med. 745, cfr. Hippol. 1025, fr. 491). —

§. 3.

Sed ut omnia ex aethere terraque procreata sunt, ita eodem omnia, cum esse desierunt, redeunt; Euripides enim censuit, nihil omnium rerum, quae ex illis elementis originem ducerent, penitus interimi delerique, sed cum aliud ab alio secretum esset, suam quidque formam osten-

---

[10]) Ἔρωτι μὲν γοῦν ὅστις ἀνταγωνίσεται πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ· οὗτος γὰρ ἄρχει θεῶν, ὅπως θέλει. Soph. Trach. 441 sq. cf. Ant. 781 sqq.

[11]) Soph. Tr. 449 sq.

[12]) θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν, Γᾶν, ἄφθιτον ἀκάμαντον ἀποτρύεται. Soph. Ant. 339 cfr. O. C. 1472.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dere et in suam quidque originem, unde effluxisset, redire ac dissolvi, quod e terra esset progenitum, id in terram descendere, quod ex aethere prodiisset, in aethera ascendere, formas tantum rerum variari et novari mutatione perpetua. Insigne eius sententiae documentum praebet fragmentum 833, v. 7 sqq., „χωρεῖ δ' ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας Φύντ' εἰς γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου Βλάστοντα γονῆς εἰς οὐράνιον Πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν Τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ' Ἄλλο πρὸς ἄλλου Μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξεν·“ [13]) alterum est suppl. 530 „ἐάσατ' ηδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς, Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ ζῆν ἀφίκετο, Ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.“ cfr. 1140, Or. 1086. [14]) Quibus verbis effici posse videtur, etiam hominem post mortem prorsus non deleri, sed corpora hominum mortuorum in terram redire, animos in aethera, i. e. in coelum emigrare ibique manere. Cum igitur mortem nihil aliud esse Euripides censeat nisi dissolutionem corporis et animi, haud ingratum me facere puto, si ostendam, qualem statum conditionemque et corporis et animi hominum post illum discessum esse poeta docuerit. —

Primum omnium quam firmissime affirmat, nullum esse mortis refugium (Alc. 121), [15]) necesse esse mori non solum omnes homines (Andr. 1272, fr. 245, 270, 47) sed etiam, nisi diis aliter placuerit, deorum filios (Alc. 989); atque cum omnibus proposita sit mors, haudquaquam res proprias possidere homines, sed a diis acceptas curare eos (Phoen. 555); perpaucos, qui ductu auspiciisque deorum in genus humanum quam maxima contulerint beneficia, divino numine mortis necessitate liberatos ex hac vita in coelum accendisse, — quo in numero est Hercules, qui Iovis patris gratia beneficioque inter deos est receptus (Heracl. 910), simili modo Iphigenia ex conspectu hominum erepta inter deos morari dicitur (Iph. A. 1608, 1614, 1622); — cum autem fatum mortis (*μοῖρα θανάτου* Med. 958) venerit et corpus hominis ad inferos descenderit, animum in aethera, i. e. in coelum ad deos, qui in aethere habitent, evolare (suppl. 530) ibique vivere, non quidem ut antea, cum corporis vinculis constrictus fuerit, sed immortalium sedes ingressum deorum, ex quibus prodierit, et consilii et prudentiae participem fore: „ὁ νοῦς Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην ἔχει Ἀθανάτων, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών“ (Hel. 1014); eodem spectat Euripidis vox, *θεὸς γάρ τις ἐν ἡμῖν* (fr. 188), id est: in unoquoque homine inest deus ita ut animus noster non solum divinus sit, sed ipse deus; cfr. fr. 943: „ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα, διοπετὴς ὅπως Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα.“ —

Num animus, cum corporis vinculis liberatus ad deos vel ad communem illam mentem, a qua totum mundum regi et gubernari Anaxagoras censet, pervenerit, ipse per se sentiat, suamque vitam agat, an nihil sit nisi pars illius mentis vitaeque illius particeps, poeta in dubio reliquisse videtur; sunt, quibus demonstrari videatur, suam cuique animo vitam esse constantem firmamque, nam qui explicari possint fr. 634. „τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατ-

---

[13]) *τὸ δὲ γίνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι οὐκ ὀρθῶς νομίζουσιν οἱ Ἕλληνες· οὐδὲν γὰρ χρῆμα γίνεται οὐδὲ ἀπόλλυται, ἀλλ' ἀπὸ ἐόντων χρημάτων συμμίσγεταί τε καὶ διακρίνεται· καὶ οὕτως ἂν ὀρθῶς καλοῖεν τό τε γίνεσθαι συμμίσγεσθαι καὶ τὸ ἀπόλλυσθαι διακρίνεσθαι.* Anax. ap. Simpl. in Arist. Phys. 346.

[14]) nescio an hic animi ascensus et descensus corporis similis sit viae illi sursum et deorsum agenti, de qua Heraclitus apud. Diog. L. IX, 7. multa disputat.

[15]) *Ἅιδα μόνον φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται*, Soph. Ant. 361, cfr. 805, Ai. 1192, *πᾶσι θνάτοις ἕφυ μόρος.* El. 860 cfr. O. C. 1220, 1563.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

θανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται", et fr. 821. „τίς δ' οἶδεν, εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν, τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί'", nisi in hunc modum, equidem non intelligo; iis autem locis, quos dixi, animum humanum in mente illa Anaxarogea dissolvi et evanescere, poeta dicit; cfr. Naegelsbach, p. 461 sqq., 421.

Cum igitur animus ad deos evolaverit, corpus sub terram recedit et apud deos inferos remanet (Andr. 503, 515, 544, Hel. 344, Alc. 45, 47, 73, Iph. A. 1219); ad quos si quis semel recesserit, nullus ad superos reditus iis patet;[16]) „δοκεῖς τὸν Ἅιδην σῶν τι φροντίζειν γόων, καὶ παῖδ' ἀνήσειν τὸν σὸν, εἰ θέλοις στένειν (fr. 334). Cum vero non omnes mortuos ad inferos intrare fas sit, sed ii, qui sepulturae honorem nacti non sunt, a portis inferorum exclusi circumerrent (Troad. 1082, Hec. 30), non solum homines (suppl. 121 sqq. 524, 670), sed etiam dei ipsi quam gravissime postulant, ut mortui rite sepeliantur[17]) (suppl. 19. sq.), namque ea, quae mortuis offeruntur, viventibus sunt decori „τὰ γὰρ φθιτῶν τοῖς ὁρῶσι κόσμος· (suppl. 78 cfr. Troad. 736.) Itaque Polynices ut in patria terra sepeliatur, omnibus precibus a Thebanis petit (Phoen. 145); qua de causa cum cautum sit, ne aut sepulcra mortuorum aut mortui ipsi laederentur et violarentur (Phoen. 166. El. 326), Menelaus ut Theonam permoveat, ut Helenam et se ipsum servet, minatur, nisi salutem adeptus sit, patris sepulcrum cruore suo effuso se polluturum esse, quod sit filiae ipsi immortali dolori, patri eius magnae vituperationi (Hel. 984—88). Id mortuorum domicilium poeta, in ultima terra (μύχῳ γῆς) repositum, tenebrosum describit,[18]) (Hel. 517, Herc. fur. 352, 607, Hippol. 836, 1290, 1366, Phoen. 1605), in quam inferorum domum nullus solis radius penetret (Alc. 437, 852). Eam autem mortuorum inter inferos vitam poeta ita describit, ut dicat, multo ab hac vita illam distare, sed pro certo nihil statui posse, cum multae de vita mortuorum fabulae circumferantur (Hipp. 197); verumtamen cum huius vitae miserrimam esse conditionem putet, multis in rebus vitam post mortem huic vitae praeferendam esse, ut omnino non natum esse praestet „οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, οὐδὲ πάθος οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος, ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις (Or. 1); — πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων (Hippol. 189.); — οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά (Alc. 802.); — τὸ μὴ γενέσθαι κρεῖσσον, ἢ φῦναι βροτούς (fr. 963); — ὦ πολύμοχθος βιοτὰ θνητοῖς, Ὡς ἐπὶ παντὶ σφαλερὰ κεῖσαι, Καὶ τὰ μὲν αὔξεις, τὰ δ' ἀποφθινύθεις, Οὐκ ἔστιν ὅρος κείμενος οὐδεὶς Εἰς ὅντινα χρὴ τελέσαι θνητοῖς, Πλὴν ὅταν ἐλθῃ κρυερὰ Διόθεν θανάτου πεμφθεῖσα τελετή (fr. 972); — πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν, οὐχ ἡμῖν μόνον, Ἢ καὶ παραυτίκ' ἢ χρόνῳ δαίμων βίον Ἔσφηλε, κοὐδεὶς διὰ τέλους εὐδαιμονεῖ (fr. 270); — ὅστις δὲ θνητῶν βούλεται δυσώνυμον Εἰς γῆρας ἐλθεῖν, οὐ λογίζεται καλῶς· Μακρὸς γὰρ αἰὼν μυρίους τίκτει πόνους (fr. 577); — οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον οὐδενί' (fr. 909); — βέβαια δ' οὐδεὶς θνητὸς εὐτυχεῖ γεγώς (fr. 899); — βίος γὰρ ὄνομ' ἔχει, πόνος γεγώς (fr. 957); — ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς, σύλλογον ποιουμένους, Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά, Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων (fr. 452), cfr. fr. 208, 287, 911, 963, Med. 1227,

---

16) ἀλλ' οὗτοι τόν γ' ἐξ Ἅιδα παγκοίνου λίμνας πατέρ' ἀνστάσεις οὔτε γόοισιν οὔτε ἄνταις Soph. El. 137 sq.,

17) cfr. Aesch. Ag. 1513, Ch. 97, 425, Sept. 992, 1044; Soph. Ant. 29 sqq.; 77 (σοὶ δ' εἰ δοκεῖ, τὰ τῶν θεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε); 550—60; 519 (ὅμως ὁ γ' Ἅιδης τοὺς νόμους τούτους ποθεῖ), Ai. 819, 1131, 1343 (οὐ γάρ τι τοῦτον, ἀλλὰ τοὺς θεῶν νόμους φθείροις ἄν.). —

18) Ταρτάρου μελαμβαθὴς κευθμών Aesch. Pr. 221, cfr. 1055, 1029; — αἴδηλος Ἅιδης Soph. Ai. 608, 660, 571; — ἄσκοποι πλάκες O. C. 1682, 1701. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hippol. 190, 207;[19]) — et vocem illam vulgo decantatam, neminem ante mortem felicem esse habendum, saepe in ore iactabat poeta (Heracl. 865, Andr. 100, Iph. A. 161 et passim)[20]). Multis igitur rationibus sortem mortuorum humanae anteponit, quid autem post mortem hominem maneat, pro certo affirmare se posse negat, sed meliora nos sperare iubet; mortui enim omnium curarum expertes sunt (Heracl. 594), dolorum obliviscuntur (Troad. 606), mala non sentiunt „*τίς δ' ἀτιμάζων νέκυς* (sc. *ὀδύναισι*) *δώσει, εἰ μηδὲν αἰσθάνοιντο τῶν παθημάτων*" (fr. 160), non vivi, sed mortui felices sunt habendi, quod laboribus iam defuncti sunt „*θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερον ἢ ζῶν*" (Hec. 377) cfr. fr. 454, qua de causa poeta dubitat, an haec vita melius nominanda sit mors, et mors sit vita, quia mortui nihil aegrotent, nec possideant mala „*τίς δ' οἶδεν, εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν, Τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βρότων Νοσοῦσιν οἱ βλέπουντες, οἱ δ' ὀλωλότες Οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά*" (fr. 821) cfr. fr. 634. Quibus dictis intelligi potest, quantum intersit discrimen inter fidem christianam et eas opiniones Graecorum et poetarum et philosophorum, qui hoc solum solamen esse hominibus putabant, quod mors esset finis omnium malorum; beata vero illa immortalitas, quam nos sperare iubet doctrina christiana, illis prorsus ignota erat. cfr. Naegelsbach p. 412 sqq.[21]) Sed ea, quae dixi, non ea mente sunt intelligenda, quasi ad unum omnes mortui apud inferos sempiterna fruantur malorum liberatione, sed poeta aliam conditionem sortemque esse dicit, si probi homines, aliam, si improbi ad inferos descenderint, suam cuique remanere sortem, prout hac in vita se quisque gesserit „*καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἔστι τοῖς τε νερτέροις Καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις*" (Hel. 1013); *εἰ δέ τι κἀκεῖ Πλέον ἔστ' ἀγαθοῖς, τούτων μετέχουσ' Ἅιδου νύμφη παρεδρεύοις* (Alc. 744).[22]) Eam ob rem recte poeta Pheretem, Admeti patrem dicentem inducit, precibus a diis se petere, ut in Plutonis aedibus Alcestis pro tanto beneficio, in filium suum collato, quam maximis praemiis afficiatur (Alc. 626 sqq., 999 sq.).

Iam restat quaestio, num quod inter mortuos et vivos intercedat commercium et aliquo communi vinculo inter se coniungantur. Vere aliqua ratione eos inter se cohaerere, primo iam heroum qui dicuntur veneratio ostendit, qui cum regio amore populos, quorum reges fuerant, essent amplexi, apud inferos aliquantum auctoritatis, qua inter vivos florebant, retinuerunt; deinde quod ut sepulcra honorentur, saepe flagitatur, et sacra, a viris ad sepulcra mortuorum oblata, in multis fabulis Euripideis commemorantur (Alc. 612 sq. El. 325, Hec. 220 sqq. Iph. T. 162, Or. 96, 115), quae sacra, modo ne ab inimicis offerantur,[23]) tam vehementer

---

19) *ἰὼ γενεαὶ βροτῶν, αἷς ὑμᾶς ἴσα καὶ τὸ μηδὲν ζώσας ἐναριθμῶ* Soph. O. R. 1166 sqq.; sed nusquam tam constanter et tam flebili oratione miserabilem hominum sortem conquestus est Sophocles.

20) cfr. Soph. Tr. init.

21) *ὦ Θάνατε Παιάν, μὴ μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν. Μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀναγκαίων κακῶν Ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ* Aesch. Phil. fr. 271, cfr. Pr. 755, Sept. 348 sq., 665 „*μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσιν*," 684, Pers. 713, 895; *τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦται φιλαιάκτων κακῶν* suppl. 771; Ag. 517; *βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος* Ixion fr. 92; — *τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίγνεται* Soph. Tr. 1173. *τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους* El. 1170 cfr. Ai. 634, O. C. 955.

22) *ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς, κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται* Soph. Phil. 1443. cfr. Aesch. Eum. 332. Ag. 1530, fr. 362.

23) *τάφου μὲν ὀκνῶ τοῦδ' ἐπιψαύειν ἐᾶν, μὴ τῷ θανόντι τοῦτο δυσχερὲς ποιῶ* Soph. Ai. 1366.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ab hominibus expetuntur, ut ipsi dii sacris honorari dicantur (Phoen. 1321) [24]). Quod nisi statueretur, [25]) perabsurda esset poetae sententia dicentis, patrem mortuum viventium puerorum gemitus exaudire (suppl. 1143); recte igitur Orestes a patre, qui nefarie occisus sub terra habitaret, petiit, ut opem ferret carissimis suis liberis (El. 677), haud dubius, quin has preces exaudiret pater (El. 684); et Menelaum patruum exhortatus est, ut Agamemnonem sub terra morantem ea quae diceret audire putaret (Or. 674). Nec valde huic opinioni repugnat, si invocationem illam mortuorum dubitatio quaedam subsequatur, num mortui eam audire possint (Or. 1231, 1241, Herc. fur. 490); qua enim via ad mortuos vivorum preces vocesque pervenirent, nihil certi proponere audebant poetae, alii opera *Ἀγγελίας*, Mercurii filiae, alii *φήμης*, alii *Ἠχοῦς* auxilio, alii alia ratione, quae in hac terra fierent, mortuos cognoscere censebant, ita ut mirum videri non possit, ab Euripide etiam negari, cognitionem rerum terrestrium in mortuos cadere, (Hec. 1312, fr. 451) cfr. Naegelsbach p. 416 sq. — Sed non solum ea, quae in hac terra fiunt, quodammodo ad mortuos pertinent, verum etiam ipsi inter se et adiuvant et colloquuntur; itaque Polyxenae, ex matre quaerenti, quid, si ad inferos descenderit, Hectori et grandaevo marito dicat, Hecuba respondet, cetera apud mortuos patrem curaturum esse [26]) (Hec. 422.).

## Caput II.

## De natura deorum.

### §. 1.

Primum hoc loco monendum est, tantum abesse, ut Euripides, quae vulgares de diis opiniones fabulaeque, a theologis poetis confictae, illa aetate circumferebantur, eas applausu suo confirmet, ut quam maxime ab iis abhorreat; nec minus, quod philosophum, qui nominabatur, eundemque Anaxagorae discipulum et Socratis familiarem decebat, eorum sapientiam repudiat, qui omnia in humana mente reposita esse arbitrati, cum sibi ipsi sapientes et totam sapientiam in se recepisse viderentur, nulla ratione habita eius fidei religionisque, quam posteri quasi sanctum quoddam patrimonium a maioribus relictum pio animo servaverant, eas res perquirere et investigare studebant, quas scire humanae menti negatum est, neque id sectari

---

[24]) Soph. El. 51.

[25]) *αὐτοὶ γὰρ ἡμεῖς ὄντες ἐν τάφοις τότε, τοῖς τἀμὰ παρβαίνουσι νῦν ὁρκώματα, ἐμηχάνοισι πρᾶξομεν δυςπραξίαις* Aesch. Eum. 759 sq.; — *καὶ σὺ κλῦθί μου, πάτερ, αὐτῇ τέ μοι δὸς σωφρονεστέραν πολὺ μητρὸς γενέσθαι χεῖρά τ' εὐσεβεστέραν* Ch. 133 sq. 140 sq.; — *σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις* Ch. 450. cfr. 474, 491, 496, Eum. 588; — *τελοῦσ' ἀρᾶι· ξῶσι οἱ γᾶς ὕπαι κείμενοι* Soph. El. 1418; — *ὦ χθονία βροτοῖσι φάμα, κατά μοι βόασον οἰκτρὰν ὄπα τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις* El. 1066; — *εἰ δὲ μή, μένω σ' ἐγὼ καὶ νέρθεν ὢν ἀραῖος εἰςαεὶ βαρύς* Tr. 1201 sq.; — *ἐγὼ μὲν οὖν αἰτοῦσα τοὺς ὑπὸ χθονὸς ξύγγνοιαν ἴσχειν* Ant. 65; — *οἱ κάτω ξυνίστορες* Ant. 542, O. C. 1702.

[26]) *ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά, παθόντες ἂν ξυγγνοῖεν ἡμαρτηκότες*, Soph. Ant. 925; — *ἐλθοῦσα μέντοι κἀγὼ ἐν ἐλπίσιν τρέφω, φίλη μὲν ἥξειν πατρὶ, προςφιλὴς δὲ σοί, μῆτερ, φίλη δὲ σοί, κασίγνητον κάρα* 897 sq. — *καὶ ὑπὸ γαῖας πάμφιγχος ἀνάσσει* El. 841.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

volebant, quod per se ipsum plane elucet, id est, purum esse diisque obedientem, cum vitam ad id, quod honestum est, accommodent, et deos colere, cum omnia, quae contra ius fasque agantur, a se aliena esse velint: „τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία, Τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν· Βραχὺς αἰὼν· ἐπὶ τούτῳ δέ τις ἂν μεγάλα διώκων Τὰ παρόντ' οὐχὶ φέροι. (Bacch. 395 sq.); — μή μοι Λεπτῶν θίγγανε μύθων, ψυχή· Τί περισσὰ φρονεῖς; εἰ μὴ μέλλεις Σεμνύνεσθαι παρ' ὁμοίοις (fr. 925); — γνώμαν σώφρον', ἃ θνατοῖς ἀποφράσιστος Εἰς τὰ θεῶν ἔφυ, Βροτείαν τ' ἔχειν, ἄλυπος βίος. Τὸ σοφὸν οὐ φθονῶ· Χαίρω θηρεύουσ' ἕτερα μεγάλα φανερά τ' ὄντ' ἀεί, Ἐπὶ τὰ καλὰ βίον Ἥμαρ εἰς νύκτα τ', εὐαγοῦντ' εὐσεβεῖν, Τὰ δ' ἔξω νόμιμα δίκας ἐκβαλόντα τιμᾶν θεούς (Bacch. 1002 sq.); — eum igitur vere sapientem habendum esse poeta censet, qui verecundus sit et prudenter intelligat, quid facere deceat „τό τε γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία, Τὰν τ' ἐξαλλάσσουσαν ἔχει χάριν ὑπὸ γνώμας ἐσορᾶν Τὸ δέον, ἔνθα δόξα φέρει Κλέος ἀγήρατον βιοτᾷ (Iph. A. 563 sq.). Sed quid multa? totam Baccharum fabulam contra sophistarum morem omnes de diis opiniones a populo pie receptas impugnandi conscripsisse videtur poeta, ut etiam, quod vulgus humile probat et sequitur, hoc nos probare et sequi iubeat (Bacch. 430 cfr. 888) cfr. Naegelsbach p. 465. At aniles illas de diis fabulas, quae quotidie popularibus suis vel de scena vel in cantilenis epicisque carminibus diis vere indignae decantabantur, quippe quibus veriori et puriori deorum cognitioni quam maxime noceatur et plurima de diis propagentur ὀνείδεά τ' ἠδ' ἀθέμιστα, ex tragoediis suis removet, et ubi illas admiserit, facile earum contemtorem agnoscas ita ut poeta, cum fabulis illis in tragoediis aliquem locum concedat, magis lusisse, et receptas popularium de diis fabulas irrisisse, quam veram animi sententiam exprompsisse videatur. Huc accedit, quod ab iis hominibus crimina in deos cumulari poeta putat, qui ipsi, ob morum pravitatem minime laudandi, sua opprobria in deos velut auctores conferendo se excusare studeant (Iph. T. 390). Ea igitur mente dei auri amantes dicuntur (Med. 964, fr. 784), dei et peccandi auctores sunt (Andr. 680) et ipsi peccant (Ion. 355, 368); dei nos decipiunt (Hel. 704), et vituperantur, quod sunt falsi (Iph. T. 579, 1084) et crudeles (Herc. fur. 1243) et varii (ibid. 216), dei hominum mentes perturbant (Hippol. 237, 241), omnia permiscent, quo magis ignoratione rerum futurarum colantur (Hec. 960), Iuppiter ab Amphitryone vituperatur, quod minus sit amicus, quam esse videatur, nec amicos suos salvos incolumesque reddere possit (Herc. fur. 346 sq. 212); Iuno ipsa caedem perpetrasse dicitur (Herc. fur. 1191, 1311, 1393), nec fore, ut a quoquam pie colatur (ibid. 1307); atque non solum hominibus infensi sunt dei, sed etiam inter se pugnant (Hippol. 1330 sqq.). Cum autem ita morati passim in tragoediis dei describantur, saepe dubitatur, num tales dei esse possint (fr. 838, Herc. fur. 1345, Hec. 489, El. 583, fr. 293, Or. 418, Iph. A. 1034, Heracl. 718 sq. 625, 872, Ion 1525, Troad. 833); et si ita sint natura comparati, necesse esse multam conviciandi materiem eos praebere (El. 1240, 1298, Or. 28, 207, 277, 406, Ion 1312, Troad. 612, 840 sqq.). Praecipue vero hominum credulitas castigatur, exitum rerum ex avium volatu cantuque e prodigiis a vatibus praedici posse opinantium, quo fit, ut non solum in vates tanquam superstitionis et fraudum artifices multae congerantur contumeliae, quod auri cupidissimi sint et ars eorum, cum omne futurum obscurum sit (Iph. T. 476), hominibus nihil prosit (Hel. 744, 749, 750, 760, Iph. A. 520 sq., 944, 956, Bacch. 257, Phoen. 956, El. 400, fr. 1030, fr. 768); sed etiam ipsa oracula deorum, cum in utramque partem explicari possint (suppl. 138) et ipse eorum auctor, Apollo, summa digni sint vituperatione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Ion 85, 384, 437 sqq., 533, 686, 953, Or. 28, 76, 163, 276, 286, 420, passimque, Iph. T. 570, 723). —

Suo igitur iure Euripides in eas deorum opiniones multis locis vehementissime invehitur et ostendit, quam absurda sit hominum credulitas, ex qua pravae illae fabulae sint exortae. Eam ob rem gravissimis argumentis docere conatur, improbissimam esse eorum sententiam, qui tales esse deos velint, ut homines impii et scelerati usque ad mortem vitam feliciter beateque perducant, licet dei summam in rebus humanis gubernandis habeant potestatem, quam sententiam a maiestate auctoritateque divini numinis maxime abhorrere poeta dicit; sanctos enim deos, nullisque maculis contaminatos flagitat, quibus nihil sceleris tribui possit „εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί (fr. 274, 7); οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν (Iph. T. 386, cfr. Herc. fur. 1341); nullo igitur modo ait deos esse, si iniuria inter homines valeat polleatque (El. 584), si improbi diuturna felicitate et impunitate fruantur (fr. dub. 40 ed. Matth., fr. 1012), si dei ipsi sinant a tyrannis pios homines impune vexari (fr. 293); neque enim eundem continuis calamitatibus urgeri fas esse, si dei iusti haberi velint (Phoen. 86); nisi de sceleratis a diis poenae scelerum repetantur, totum divinum numen esse negandum (Andr. 439), poena enim sublata deos ipsos tolli necesse esse (Herc. fur. 841); atque ex poenis, quas dei in pravos impendant, intelligi, num dei sint, nec ne (Bacch. 1325); ubi flagitia in dies magis crescant nec ullus iurisiurandi sit pudor, veteres illos deos res humanas iam non exercere ac regere, sed nova quaedam instituta esse substituenda (Med. 494), solis enim ex legibus institutisque humanis, qualis sit deorum natura, nos iudicare posse (Hec. 800 sq.); qua re evenire, ut, si dei ipsi peccent et peccati sint auctores, fieri non possit, ut ullus homo, quamvis multa perpetraverit scelera, nefarius et habeatur et dicatur atque in ius iudiciumque vocetur, cum ipsi dei pravorum facinorum culpa non careant (Ion 449); itaque deorum fidem collabi coepisse nec firmiter stare posse, quem esse qui miretur (Med. 412); si vero dei ipsi ut divina numina coli velint, ipsos hominibus sapientiores esse et bonos fortesque viros honorare debere (Hippol. 120, Hel. 853). Sed tantum abest, ut tales opiniones poeta veras probet, ut quavis occasione usus in eas aniles fabulas, quas populares a maioribus receperant, saepissime invehatur easque, quantum fieri potuit, alia mente, ad naturalem rationem accommodatiore, quam ad id tempus factum erat, interpretari studeat; eam ob rem fabulas illas allegorias quae dicuntur censet, quibus natura deorum moresque distinctius et planius ante oculos hominum ponantur et pietas cultusque deorum magis augeatur (El. 992); multas autem earum absurdiores esse, quam quibus fides habenda sit; eo spectare dicit, quod Latona, cum quis mortalium caedem patrarit, eum ab aris suis arceat, impurum quippe existimans, ipsa vero hostiis delectetur humanis, nullo enim unquam modo fieri posse, ut tantam stultitiam Latona, Iovis coniux, pepererit (Iph. A, 380 sq.) neque se putare, Iovem, pravi viri formam imitatum, in cubile Antiopae hominis instar clam venisse (fr. 186) cfr. Ζεὺς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ (fr. 1483), quod poeta, invidiam spectatorum veritus, postea in „Ζεὺς, ὡς λέλεκται ταύτης ἀληθείας ὑπό“ mutavisse dicitur. Itemque multis locis addubitatur, num haec illave fabula vera sit, ut, num Iuppiter in cygnum se mutaverit (Hel. 21), num Leda ex ovo liberos genuerit (Hel. 259, Iphig. A. 795 sqq.); nec minus fabula de Tantalo pervulgata in dubium vocatur (Or. 5, 8 sq., Iph. T, 387 sqq.); saepe iis, quae a poetis de diis narrantur, fides denegatur (Herc. fur, 1315, 1319, 1346), aliis locis fabula dubia fit adiectis verbis „ut fama fert“ „ut dicitur“ (Iph. A. 72.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iph. T. 87); Electra coram omnibus dicit, narratiunculas illas exiguam apud se obtinere fidem (El. 739), fabulis enim nos decipi (Hippol. 198) et quidquid sit stultum, ab hominibus Venerem dici (Troad. 989); nec Bacchum Tiresias ait mulieres intemperantes esse cogere, sed in suo cuiusque natura inesse temperantiam (Bacch. 315 sq.). Sed Euripides fabulas non solum vituperat, verum etiam qui sensus in iis lateat, ostendere conatur, cuius interpretationis luculentum exemplum extat Bacch. 292—297 „*ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου Αἰθέρος, ἔθηκε τόνδ' ὅμηρον ἐκδιδοὺς Διόνυσον Ἥρας νεικέων· χρόνῳ δέ νιν Βροτοὶ τραφῆναί φασιν ἐν μηρῷ Διός, Ὀνομα μεταστήσαντες, ὅτι θεᾷ θεὸς Ἥρᾳ ποθ' ὡμήρευσε, συνθέντες λόγον.*“ Aliud exemplum est Or. 396, ubi Orestes a Menelao interrogatus, quo morbo intereat, respondet, conscientia malefactorum se perire, quod sibi conscius sit atrocia se fecisse, atque tristitia, qua furores, matris caedem ulciscentes, se conterant. cfr. Cic. pr. Rosc. Am. §. 68.

§. 2.

Priusquam autem ad ea transeamus, quae Euripides de natura deorum memoriae tradidit, aliquid dicendum mihi esse videtur, quid poeta de fato senserit, qua in quaestione brevius rem me enarrare posse puto, quod Euripides, cum ex animis popularium fati opinio magna ex parte evanescere coepisset, quippe qui omnia in suo arbitrio posita esse arbitrati ab illa perobscura nec ulli homini intellecta numinis vi necessario abhorrerent, quae legibus inde ab initio rerum constitutis, a quibus nullo modo recedi posset, res et divinas et humanas gubernaret, cui nec homines nec dei resistere auderent, quod igitur Euripides eas sententias secutus eam fati vim ipse pro virili quidem parte ex mundi administratione tollere studet; atque cum res humanas aliquo numine regi necesse esse putet, id numen non fato concedit, sed illis deis, qui libertate menteque praediti homines pro suis quemque meritis aut praemiis aut poenis afficiunt; quo fit, ut, quae ab aliis poetis fato saepe tribuuntur, ea ab Euripide plerumque in deos ipsos eorumque principem Iovem transferantur; itaque Parcae, quae cum fato coniungi solent, ad Iovis solium ceterorum deorum proximae sedere dicuntur (fr. 614) itemque *Δίκη* multis locis cum Iove quasi ministra consociatur et coniungitur, neque dei vel lenitatem vel misericordiam magis norunt, quam fatum (fr. 838), et quidquid apud alios poetas in fati potestate positum est, id numine deorum administrari Euripides dicit (Andr. 1204)[27]). Huc etiam spectat vox Iphigeniae dicentis, omnia, quae dei agant, obscure procedere nec quemquam scire ullam calamitatem (Iph. T. 476) et senis illud „*κ'ἂν μὴ σὺ θέλῃς, Τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν' ἔσται* (Iph. A. 33), id quod dicto nuncii comprobatur in eadem fabula 1610 „*ἀπροσδόκητα δὲ βροτοῖς τὰ τῶν θεῶν·*“ atque Adrastus aperte diserteque profitetur, ex Iove nos omnes pendere et ea facere, quae ille voluerit (suppl. 735), et Theseus iubet, quisquis mortalium generosus sit, eum calamitates deorum ferre nec recusare (Herc. fur. 1228, cfr. 1349). Nec alio modo intelligi possunt ea verba, quibus complures fabulae concluduntur „*πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ, Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί· Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἀτελέσθη, Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. Τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.* (Med.

[27]) *εἰ δὲ μὴ τεταγμένα μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν εἶργε μὴ πλέον φέρειν* Aesch. Ag. 987; — *θεόθεν γὰρ κατὰ Μοῖρ' ἐκράτησεν τὸ παλαιόν, ἐπέσκηψε δὲ Πέρσαις πολέμους πυργοδαΐκτους διέπειν* Pers. 103; — *τοιαῦτ' ἔφραζε πρὸς θεῶ εἱμαρμένα* Soph. Tr. 166 cfr. extr.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1415 cfr. Poen. 705). Qua de causa deus varium quiddam et intellectu difficile nominatur (Hel. 711); cfr. *ἡ πολλὰ καὶ δύσγνωστα βουλεύει θεός* (fr. 1016). Aliis locis notio fati quam artissime cum numine Iovis deorumque coniungitur, ut secerni non posse videantur, cuius rei singulare exemplum extat Troad. 884 sqq. „*Ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν, Ὅστις ποτ' εἶ σύ, δυστόπαστος εἰδέναι, Ζεύς, εἴτε ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν, Προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ δι' ἀψόφου Βαίνων κελεύθου κατὰ δίκην τὰ θνητ' ἄγεις.*“ itemque: „*καλῶς τὰ τῶν θεῶν καὶ τὰ τῆς τύχης ἔχει* (Phoen. 1202); — *τἀντεῦθεν δὲ χρὴ πράσσειν, ἃ μοῖρα Ζεύς τε ἔκρανε σοῦ πέρι* (El. 1248).“ — *τὸ γὰρ πεπρωμένον δεῖ σ' ἐκκομίζειν· Ζηνὶ γὰρ δοκεῖ τάδε* (Andr. 1269); *μοχθεῖν ἀνύγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας Ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός* (fr. 40) cfr. Alc. 978. [28]) —

Verumtamen quamquam fato, quale ab Aeschylo et Sophocle describitur, apud Euripidem parvus est locus, tamen poeta facere non potuit, quin vestigia quaedam antiquae illius de fato opinionis in suas tragoedias reciperet. Ac primum quidem in fato summa vis inesse dicitur, cui non solum homines, sed etiam deos obedire necesse sit; eam necessitatis vel fati vim praeclaro illo carmine canit chorus Alc. 962—80, cuius summa fere haec est: quamquam ipse cum musa versetur et sublimis evectus sit, plurima tractans studia, tamen potentius necessitate se nihil invenisse, nec ullum remedium esse in Thraciis tabulis, quas Orpheus conscripserit, neque quotquot Phoebus Aesculapii posteris tradiderit medicamina, aerumnosis opitulans mortalibus; huius solius deae nec ad aras venire licere nec ad simulacrum, neque enim eam preces victimasque exaudire etqs; „*λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς σοφῶν, δ' ἔπος, Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον* (Hel. 513);“ — *τὸ τῆς ἀνάγκης δεινόν* (Troad. 616, cfr. Or. 488, 1330, Hec. 43, 638, Hippol. 1256, Ion 1388, Heracl. 615 sq.). Quidquid igitur a necessitate constitutum est, fieri necesse est, „*τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον, ἢ τὸ μὴ χρεών* (fr. 736); neque quidquam eius vinculis solutum est (fr. 752); atque cum fato summa contineatur lex, qua totus mundus gubernatur, nihil eorum turpe esse potest, quae necessaria sunt hominibus (fr. 863), sed omnia bene se habent, quae a diis necessitateque fiunt (Phoen. 1202). Eam vim fatum non solum contra homines exercet, sed etiam contra deos, „*τὸ γὰρ χρεὼν σοῦ τε καὶ θεῶν κρατεῖ* (Iph. T. 1486); quamvis enim validi sint dei, tamen in eos dominatur lex, id est, fatum (Hec. 799), quo dei inter se discordes esse et obsistere vetantur (Hippol. 1328, Bacch. 1351) et quidquid promiserunt, efficere iubentur (Alc. 979, El. 1169); eam ob rem Neptunum, quae Theseo pollicitus erat, irrita reddere nec ius nec fas erat (Hippol. 45 saepiusque); atque fratres illi gemini, Castor et Pollux, interrogati, cum dii sint et fratres occisae Clytaemnestrae, cur furias ab aedibus non averterint, respondent „fati necessitas hunc ducebat casum“ (El. 1301, cfr. fr. 124); prae necessitate enim omnia alia sunt infirma (fr. 296); atque frustra fato invito dei Peleum nuptiis felicem reddere voluerunt (Andr. 1218) [29]). Quae cum ita sint, poeta pluribus locis gravissime cohortatur, ne quis in necessitatem reluctetur (Herc. fur. 283, fr. 493), si quis enim deorum fatum eluctari conetur, eum quidem operam navare, sed amentem esse eius operam (Heracl. 616 sq.),

---

[28]) *ὅ, τί τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ' ἄν· Διὸς οὐ παρβατός ἐστιν μεγάλα φρὴν ἀπέραντος* Aesch. supp. 1019; *Ζεὺς ὁ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα* Eum. extr. cfr. Soph. Phil. 1387, 1436.

[29]) *οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον* Aesch. Sept. 264; Choeph. 103; Prom. 168—172, 517; *ὡς πεπρωμένης οὐκ ἔστι θνητοῖς συμφορᾶς ἀπαλλαγή* Soph. Ant. 1311.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod enim fieri necesse sit, id neminem unquam, ut non necesse sit, effecturum esse (Herc. fur. 309 sqq., cfr. fr. 514), cum fati vis nullo modo superari (Ion 1388) nec eius decreta unquam evitari possint; itaque ut insanum quoddam sit, si quis deorum necessitatem emendare velit (fr. 340) ita qui ei cedat, eum sapientem videri et rerum divinarum intelligentem (fr. 939); atque cum penes fatum sit, felices evertere (suppl. 608), nec quisquam sine eo aut beatus sit habendus aut calamitosus (Heracl. 608 sq.), mortalibus maxime conducere, fata divinitus immissa perferre (Phoen. 916, 1763), praesertim cum facile sit ad credendum, robur habere fatum illud divinum, quodcunque tandem sit, quod et diuturnitate temporis ut iustum numen consecratum sit et natura sua constiterit (Bacch. 893 sqq.), nec quisquam, quod fatale non sit, unquam perpessurus sit (Bacch. 515). —

§. 3.

Sed de fato quid Euripides senserit, iam satis dictum esse videtur; ad aliam transeamus quaestionem et videamus, num apud Euripidem aliquid intersit inter deos et daemones qui vocantur. Multis quidem locis dei iidem esse ac daemones dicuntur, ita ut discrimen illorum numinum diluceat fere nullum. Bacchus enim se ipse daemonem potentem nominat (Bacch. 22, 44, 215), saepe daemones ut dei testes invocantur (Med. 619, Phoen. 491); Hippolytus Dianam daemonem appellat (Hippol. 99), Iph. A. 1514 chorus dicit, Iphigeniam aram *δαίμονος θεᾶς* guttis sanguineis humectaturam esse; aliis locis Iuppiter cum ceteris daemonibus coniungitur (Troad. 55, Med. 965); si *ὁ δαίμων* velit, matrem se reperturum esse Ion dicit (Ion 1353); supplices modo sub tutela deorum esse dicuntur modo daemonum (Heracl. 101, 955; Phoen. 413, 414, Jon 4, Or. 667, 668, Phoen. 18, suppl. 1008, Hec. 490, Iph. A. 976, 1076, Bacch. 200). Verumtamen poeta deos et daemones saepe separat et dignoscit; cum enim in rebus humanis regendis deorum prudentia et consilium haud raro in dubium vocari possit, ne eas casu administrari statuat, neve quis eam deorum socordiam iis ipsis crimini vertat, praeter deum et casum poeta ponit tertium aliquid, quod vi sua ac natura illis interiectum sit; hunc tertium locum poeta *τοῖς δαίμοσι* concessisse videtur ita ut diis inferiores, hominibus et heroibus qui dicuntur superiores sint „*ὅ, τι θεὸς, ἢ μὴ θεὸς, ἢ τὸ μέσον, τίς φησὶν ἐρεύνησας βροτῶν μακρότατον πέρας εὑρεῖν, ὃς τὰ θεῶν ἐσορᾷ δεῦρο καὶ αὖθις ἐκεῖσε καὶ πάλιν ἀντιλόγοις πηδῶντ' ἀνελπίστοις τύχαις*; (Hel. 1137 sqq. v. Pflugk. ad h. l.). Deinde *δαίμονες* ita ac diis secernuntur, ut haec sint numina, quae hominum potestati viribusque opposita multo maioribus florent virtutibus et animi et corporis, illorum nutu, quaecunque mala hominibus accidunt, dirigantur. Cum igitur Iason exoptat, ut furiae Medeam perdant caedisque vindex, Iustitia, ea respondet „*τίς δὲ κλύει σου θεὸς ἢ δαίμων Τοῦ ψευδόρκου καὶ ξεινοπάτου* (Med. 1391 sq.); „*τὰ τοῦ θεοῦ μὲν χρηστά, τοῦ δὲ δαίμονος βαρέα* (Ion 1374). Quare fit, ut saepissime dei daemonum nomine tum praecipue appellentur, cum dei auctores humanarum calamitatum perhibentur, quod multis locis intelligitur, quorum paucos apponam: „*ἐμάνην, ἔπεσον δαίμονος ἄτῃ* (Hippol. 241, 871), *οἵῳ μ' ὁ δαίμων θηρίῳ συνῴκισεν* (fr. 131), *τίς σ' ὧδ' ἀτίμως δαιμόνων ἀπώλεσεν*; (Med. 1208, cfr. 1410), *ὦ δαίμων, ὡς ἀνάξι' ἠτιμώμεθα* (Hel. 455), *εἴθε σ' ὑπὸ Ἰλίῳ ἤναρε δαίμων Σιμοέντιδα παρ' ἀκτάν*! (Andr. 1182); *ὦ τλῆμον, ὡς σε πολυπονώτατον βροτῶν δαίμων ἔθηκεν, ὅστις ἐστί σοι βαρύς* (Hec. 721 cfr. 1087 sq.), *κακός σε δαίμων καὶ κακὴ τύχη λάβοι* (fr. 980, cfr. Hippol. 1406, Iph. A. 444, Iph. T. 156, Heracl. 935, El. 1141, Hec. 200 sqq. Ion 1269, Rh. 882, fr. 554); nec aliter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

intelligi potest ira daemonum (*ὀργὴ δαιμόνων*, Iph. T. 987, fr. dub. 29 ed. Matth.); eodem pertinet *ἀλάστωρ δαίμων*, qui poenas a sceleratis expetere dicitur (Med. 1260, 1333, Or. 1547, Phoen. 1556, Troad. 768). Sed daemonum significatio etiam latius patere coepit, ut notio daemonum saepe congruat cum fortuna et fato ipso „*οὐκέτι Τροία τάδε καὶ βασιλεῖς ἐσμεν Τροίας· μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου* mutatam fortunam tolera (Troad. 101)," „*ἔρροι νὺξ αὕτα καὶ δαίμων* pereat nox ista et istud fatum (Troad. 203); qua de causa Aegeus dicit, per daemonem, id est, per fatum liberorum se expertem esse (Med. 654), et Meno ecus eos, in quos oraculum illud non cadit, ab oraculo liberos nominat *κοὐκ εἰς ἀνάγκην δαιμόνων ἀφιγμένους* (Phoen. 1000, cfr. 413, Rh. 183). Atque cum cuiuslibet hominis sors et fortuna quasi numen quoddam cogitari possit, ipsa hominum calamitas *δαίμων* vocatur, ut duae illae notiones plane inter se conveniant „*ἐμοὶ δὲ τὸν ἐμὸν δαίμον' αἰάζειν πάρα* (Med. 1347), *ἐσθλοῦ δ' ἔκυρσα δαίμονος, πρὶν ἐς πόλιν μολεῖν Ἀθηνῶν* (Ion 1269 cfr. Phoen. 1607), *οὐκ ἐν χορείαις οὐδὲ παρθενεύμασι Νῦν σοι προχωρεῖ δαιμόνων κατάστασις*, fortunae status (Phoen. 1265), *ἐγὼ γὰρ δαίμονος τοῦ 'μοῦ μέτα στρατηλατήσω* (suppl. 592 cfr. 552), *ὦ πότνια μοῖρα καὶ τύχη δαίμων τ' ἐμός* (Iph. A. 1136), *ὦ δαίμονος πολυστόνου μοίρας τε σᾶς, γύναι!* (Hel. 211), *πῶς οὐκ ἔκρυπτες τὸν παρόντα δαίμονα* (Alc. 561), *παρέστι — στένειν Πόλιν πατρῴαν τὸν θανόντα θ' Ἕκτορα Στερρόν τε τὸν ἐμὸν δαίμον', ᾧ συνεζύγην* (Andr. 98), *νῦν δ' ἐς τὸν αὐτὸν δαίμονα ἦλθε μητέρι* (Or. 504) cfr. Alc. 912, Or. 394, Herc. fur. 884, fr. 898. —

§. 4.

Iam vero ipsos deos videamus, qui qualesque ab Euripide describantur et quo animo nos erga eos affecti esse debeamus. Ac primum quidem praemonendum est, si natura deorum generalis exhibeatur, poetam eos potissimum deos in animo habere, qui superi nominati praecipuam in rebus humanis exerceant vim. Eorum deorum vetus domicilium vocatur aether (Bacch. 393) vel coelum (Ion 2), quod circumdatur hortis immortalibus, unde laurus illa decerpta est, qua Ion Phoebi aram verrit (Ion 116), Olympi aurea conclavia Iovis domum nominatam (Ion 459) neminem puto esse qui miretur. —

Primum autem dei sunt immortales,[30]) in omnibus enim rebus Polyxena dicit similem se esse deis, *πλὴν τὸ κατθανεῖν μόνον* (Hec. 356), neque vulnerari possunt (Or. 27) sed sunt sacrosancti [31]) (Med. 1256) nec cuiusquam indigentes „*δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἐστ' ὄντως θεός, οὐδενός* (Herc. fur. 1345), tum est eorum vis omnium maxima „*θεῶν δύναμις μεγίστη* (Alc. 219),[32]) omnia possunt dei (fr. 794) et curant, praesertim quae magni sint momenti (fr. 129), finem omnium rerum in se habent, cum magna sit eorum potestas „*τέλος ἔχει δαίμων βροτοῖς, τέλος, ὅπα θέλει· μεγάλα δέ τις ἁ δύναμις* (Or. 1545 sq.), *πᾶν γὰρ ἐκ θεοῦ τέλος* (fr. 1017), *πάντων τέρμ' ἔχοντες αὐτοὶ θεοί* (suppl. 617 cfr. Alc. 251); certum est divinum robur „*πιστὸν τόγε θεῖον σθένος* (Bacch. 883); eam ob rem omnia facilia sunt deis „*πάντα δ' εὐπετῆ θεοῖς*

---

30) *ἁ φίλται Αἰγέως παῖ' μόνοις οὐ γίγνεται θεοῖσι γῆρας, οὐδὲ κατθανεῖν ποτε.* Soph. O. C. 608.

31) *εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι θεοὺς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει* Soph. Ant. 1044. —

32) *παναλκεῖς θεοί.* Aesch. Sept. 151; *θεοῖς δ' ἔτ' ἰσχὺς καθυπερτέρα* 209; cfr. suppl. 985, Ag. 1105, 1455; efficiunt quae quis optat, Sept. 531 sq.; *ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ταῦτα καὶ τὰ πάντ' ἀεὶ φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανὰν θεούς* Soph. Ai. 1036, cfr. 779, 455, 119; *τεὰν Ζεὺ δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβάσια κατάσχοι, τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ ποθ' ὁ παντογήρως οὔτ' ἀκάμαστοι θεῶν μῆνες* Ant. 604 sqq., cfr. O. C. 1451.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Phoen. 689),[33]) deo volente etiam in arundine naviges (fr. 397); transcendunt etiam urbis moenia dei (Bacch. 654), atque homines quamvis sint remoti, deorum vocem audiunt [34]) (Iph. T. 1447) nec putari licet, domus muris eos potentes deos circumcludi posse „*ποῖος δ' ἂν οἶκος, τεκτόνων πλασθεὶς ὑπό, δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς* (fr. 968); dei omnia cernunt, ipsi non cernuntur „*θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νοητέον; τὸν πάνθ' ὁρῶντα καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον* (fr. 960), *πόρσω γὰρ ὄμως αἰθέρα ναίοντες ὁρῶσι τὰ βροτῶν οὐρανίδαι* (Bacch. 392);[35]) itaque nihil fit hominibus sine deo (fr. 104, El. 638),[36]) nec boni (fr. 1009, Iph. A. 390), nec mali (Heracl. 608, Herc. fur. 919, Andr. 1204, Ion 520, Phoen. 1580, fr. 104, fr. 616), dei enim homines et tollunt et supprimunt (Heracl. 610); ii igitur primo existimandi sunt felicitatis auctores,[37]) tum homines et deorum et fortunae ministri (El. 890); suo igitur iure Achilles dicere potuit, vehementem illius contra Troianos expeditionis amorem non sine deo in Graecos incidisse (Iph. A. 808); et secundos flatus mittit deus (Hec. 900)[38]) et reditum in patriam (Heracl. 587) et preces hominum efficit (Phoen. 70) et omnem vicissitudinem dat (fr. 152); denique nihil proprium possident homines, nisi quod a diis acceperunt (Phoen. 555). Cum autem deus quempiam honorat, nihil opus est amicis, deus enim solus sufficit, si velit iuvare (Herc. fur. 1338, Or. 667), nec unquam mortalibus inferiores apparebunt dei[39]) (Heracl. 767) et semper miseris hominibus opes largientur (Iph. A. 597); itaque Theseus dicit, hoc unum sibi opus esse contra hostes, habere deos propitios, quod si contigerit sibi, victoriam secum fore, virtutem enim solam nihil prodesse, nisi deum faventem habeat (suppl. 594); quo fit, ut unus vir iustus multa milia improborum superet, fretus deo et iure (fr. 588); ideo Creon Eteoclem deorum arbitrio quae velit committere iubet (Phoen. 705), nam si quem servare deo placuerit, multas salutis praebebit occasiones (fr. 926). Neque licet cuiquam latere, nisi volens deus ipse eum occultet (Ion 1243 sq.); nec minus ingentem liberorum amorem deus hominum animis iniicit (fr. 98). —

Cum dei tanta vi ac potestate sint praediti, nullo modo qui mortalis homo est, iis resistere potest (Iph. A. 1396);[40]) recte igitur Ion Creusam matrem admonet, ne ab oraculo, quae deo adversentur, quaerat, dementiae enim esse, si homines deos invitos cogere velint dicere, quae nolint,[41]) „*ἂν γὰρ*, inquit, *βίᾳ σπεύδωμεν ἀκόντων θεῶν, οὐκ ὄντα κεκτήμεθα τἀγάθ', ὦ γύναι· ἃ δ' ἂν διδῶσ' ἑκόντες, ὠφελούμεθα* (Ion 379 sqq.). Hinc sequitur, ut nemini liceat, deis,

---

33) *τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω στρέφων τίθησιν* (*Ζεύς*), *οὐδὲν ἀσθμαίνων μένει* Aesch. Eum. 641 sq. cfr. suppl. 86—92 (*πᾶν ἄπονον δαιμονίον*), 582. —

34) cfr. Soph. Ai. 15. —

35) *τὰ δ' ἄλλα πάντα καὶ σιωπώσης ἐμοῦ ἐπαξιῶ σε δαίμον' ὄντ' ἐξειδέναι* Soph. El. 644.

36) *τί τῶνδ' οὐ θεοκραντόν ἐστιν* Aesch. Ag. 1455; *γένοιτο μεντἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου* Soph. Ai. 86, cfr. Tr. 1279.

37) *θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς* Aesch. Sept. 607, cfr. Pers. 163; *τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν θεοῦ μέγιστον δῶρον* Ag. 894; cfr. 170; — *ξὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κοὐδύρεται* Soph. Ai. 383, cfr. Phil. 192, O. R. 145, Ant. 684.

38) cfr. Soph. Phil. 464.

39) *δαιμόνων δέ που χάρις, βίαια σέλμα σεμνὸν ἡμένων.* Aesch. Ag. 170.

40) cfr. Soph. Ant. 855 sq. El. 696. —

41) *ἀλλ' ἀναγκάσαι θεοὺς ἂν μὴ θέλωσιν οὐδ' ἂν εἷς δύναιτ' ἀνήρ* Soph. O. R. 280; — *παντων αριστον μὴ βιάζεσθαι θεοὺς στέργειν τε μοῖραν* Thyest. fr. 3; cfr. fr. inc. 1, fr. 76.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum potentiores sint et vel potentissimos supprimere possint, repugnare[42]) (Iph. A. 1409, Iph. T. 1479 cfr. 718), magnae enim est stultitiae, cum animus humanus plus posse deis et sapientior esse studet (suppl. 216 sq. Heracl. 258), cuius temeritatis grave exemplum est Echion, qui delira mente scelestoque impetu Bacchi orgia neglexit, sperans, invictum deorum numen se superare posse (Bacch. 995 sqq.).[43]) Quidquid denique homines agunt, per deorum vim et voluntatem agunt (Heracl. 794, Med. 625, 802, 915).

Tum sunt dei venerandi (*σεμνοί*), Iph. T. 949, 1415, 1492, Hippol. 99, 103, 713, Iph. A. 976, Rh. 973), et beati (*μάκαρες*) (Hec. 645, Bacch. 378, Hel. 1677, Alc. 1006), omni dolore vacant,[44]) quo infelicior vita humana est, eo felicior divina (fr. 899); quidquid laeti homini contingit, id ex deis emanat et ipsum divinum quoddam vocatur (Hel. 560); eam ob rem diis odiosa sunt, quae illi beatitudini nocere possunt,[45]) quidquid igitur impurum est, oderunt (Iph. T. 1037 sq.), praecipue vero iis odio est mors (Alc. 63), et domum, ubi mortuus quispiam iacet, quam longissime fugiunt, ne piaculum se deprehendat (Alc. 23), et contra Mortem sibi invisam Apollo fraude non quidem mala, sed iusta et bona utitur (init. Alc.)[46]) —

Deinde magna erga homines misericordia et humanitate dei utuntur „*ἔνι γὰρ κἀμοὶ τοῖς τ' οὐρανίδαις οἰκτοι θνητῶν πολυμόχθων*“ (El. 1329), *ἀλλ' ἐστι, κεἴ τις ἐγγελᾷ λόγῳ, Ζεὺς καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη* (fr. 959)[47]). Inter homines vindicta vindictam evocat et caedes caedem, dei vero malorum levamina hominibus distribuunt (suppl. 614 sqq.), dei ipsi mala humana sentiunt (Herc. fur. 1115), non gaudent, si pii homines moriuntur. (Hippol. 1339); itaque dei saepissime invocantur, ut mala humana averruncent et discordias componant (Phoen. 586 sq.). —

Maxima porro excellunt dei sapientia, *σοφὸς γὰρ ὁ θεός* (Phoen. 414), neque enim deus aut intelligentiae expers est, aut rerum discrimina ignorat[48]) (Iph. A. 394), et eorum vox vera reperitur (Hel. 1150);[49]) saepe igitur pii in precibus votisque suis deorum sapientiam spectare iubentur (Phoen. 86), et Menelaus confidit, ab inimicis occisum se levi terra tectum iri, nam dei sint sapientes (Hel. 851), itaque fastu superbiaque nos corruptos esse oportet, si diis sapientiores nobis ipsis videamur (suppl. 217), vel ineptimus, si deo plus sapere velimus (Heracl. 258). —

---

42) *ἀνάγκη πημονὰς βροτοὺς φέρειν θεῶν διδόντων* Aesch. Pers. 288; — *τεθνάναι δ' οὐκ ἔτ' ἀντερῶ θεοῖς* Ag. 520 cfr. Eum. 489, Choeph. 954; — *νόσους ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν*. Soph. Phaedr. fr. 8.

43) *οὐμὸς δὲ πόιμος οὐρανῷ κυρῶν ἄνω ἕρπει πίπτει. καί με προσφωνεῖ τάδε· γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν* Aesch. Niob. fr. 166.

44) *τίς δὲ πλὴν θεῶν ἅπαντ' ἀπήμων τὸν δι' αἰῶνος χρόνον*. Aesch. Ag. 531; *τὸ δ' εὐτυχεῖν τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον*. Choeph. 51; — *μάκαρες θεοί* Sept. 95, 1061, Pr. 170; — *οὐ γὰρ θέμις ζῆν πλὴν θεοὺς ἄνευ κακῶν*. Soph. fr. inc. 27, *πέπρακται πᾶν τὸ τοῦ θεοῦ καλῶς* fr. inc. 100. —

45) cfr. Soph. O. R. 215. —

46) cfr. Aesch. Eum. 720, 804. —

47) *τὸν κρατοῦντα μαλθακῶς θεὸς πρόσωθεν εὐμενῶς προσδέρκεται* Aesch. Ag. 918 sq.; *θεὸς γὰρ οὐκ ἠχθηρέν, ὡς εὔφρων ἔφυ* Pers. 772 cfr. Ag. 1106. — *ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνδικος θρόνων Ἀιδὼς ἔργοις πᾶσι* Soph. O. C. 1267.

48) *τοὺς ἐκ Διὸς γὰρ εἰκὸς ἐστι πάνθ' ὁρᾶν* Soph. El. 659. —

49) *ψευδηγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμα τὸ Διόν, ἀλλὰ πᾶν ἔπος τελεῖ*. Aesch. Pr. 1036 cfr. Pers. 801, Eum 886; — *αὐτοὶ θεοὶ κήρυκες ἀγγέλλουσί μοι, ψεύδοντες οὐδὲν σημάτων προκειμένων* Soph. O. C. 1511. —



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Saepissime autem sapientiae notio congruit cum iustitia, quae est singularis deorum virtus,[50]) ut quidquid faciunt dei, id iustum sit; „δικαίους δαίμονας σύ γ' ἐννέπεις (suppl. 610), quae opinio chori animo tam firmiter inhaeret, ut profiteatur, tum demum se putare, deos esse, cum eos iustos viderit (suppl. 732). Eam deorum iustitiam nulla re luculentius intelligi posse, quam poena improborum, de qua infra aliquid dicam, deosque iustos ab omni humana vi superbiaque abhorrere (Hel. 903), Naegelsbach l. c. p. 32 sq. diserte explicavit. Cum igitur dei sint iustissimi, nunquam fieri potest, ut ἐπιείκειαν, aequitatem, quae peccantibus nonnunquam causa cognita ignoscit, stricto iuri dei praeferant, quod si fieri posset, deos hominibus magis insipere necesse esset „ἦ τἄρα θνητῶν εἰσὶν ἀσυνετώτεροι, εἰ τἀπιείκη πρόσθεν ἡγοῦνται δίκης (fr. 838).[51]) Cum igitur Lycus poenas pro sceleribus dederit, chorus magnam deorum iustitiam agnoscit (Herc. fur. 735 sq.), et Agamemno profitetur, deorum et iustitiae causa se perfecturum esse, ut Polymestor, perfidus Thraciae rex, morte mortem filii Hecubae luat (Hec. 852 sq.). Ea deorum iustitia, licet in oculis hominum non insit (Med. 219), tamen haud remota habitat a mortalibus, sed propinqua est, nec ipsa visa videt tamen omnes et satis scit, quem poena affici deceat (fr. 261). Itaque recte Thetis dicit, nationem Troianorum non funditus eversam esse, diis enim haud minori curae esse Troianos quam Graecos, quamquam Minervae studio corruerint (Andr. 1251 sq.).[52]) Cum igitur nemo deorum malus sit (Iph. T. 391) nec quemquam fallat (Ion 1374), viros iustos et sapientes etiam in rebus adversis deis irasci non decet (fr. 902).[53]) Eadem huius iustitiae ratio est, si omnibus in rebus et privatis et publicis iudices invocantur dei (Phoen. 467); neque quidquam interesse dicitur, num quis maioribus hostiis deis immolet, an minoribus, dummodo pia mente immolet; haud minus salutis participem fieri posse pauperem quam divitem (fr. 1051), saepe enim eos, qui exigua manu dona deis offerant, iis religiosiores esse, qui boves immolent (fr. 319). Eam autem iustitiam qua ratione aut ad malefacta hominum punienda aut ad benefacta praemiis afficienda dei adhibuerint, postea videbimus. —

§. 5.

Cum tales sint dei, ritibus et caerimoniis quibusdam oblectantur (Iph. T. 35, Bacch. 316) omnibusque gravissime irascuntur, qui honores iis eorumque aris debitos denegant;[54]) ut Pentheus maximas poenas dedit, quod Bacchi cultum impugnavit eumque a libationibus

---

50) Δίκας γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώσσης θεοὶ κλύοντες ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορὰς ἐς αἱμαιηρὸν τεῦχος οὐ δεχορρόπως ψήφους ἔθεντο Aesch. Ag. 780 sq.; — ἀλλὰ, θεοὶ γενέται, κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες, suppl. 72, cfr. Sept. 547, 607, Ag. 1243. — ὧν (ἔργων) νόμοι πρόκειν̓ται ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν, οὐδὲ μήν ποτε λάθα κατακοιμάσει· μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει. Soph. O. R. 865 sq. cfr. O. C. 1371, Ant. 797. —

51) ὕβριν γὰρ οὐ στέργουσι οὐδὲ δαίμονες. Soph. Tr. 280 cfr. 283; — τοὺς δὲ σώφρονας θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς. Soph. Ai. 132 cfr. 129, 590, 758, 769.

52) πολλῶν γὰρ ἂν καὶ μάταν πημάτων ἱκνουμένων, πάλιν σὲ δαίμων δίκαιος αὔξοι Soph. O. C. 1565 cfr. 394; — ἡγεῖσθε δὲ βλέπειν μὲν αὐτοὺς (θεοὺς) πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν, βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς. Soph. O. C. 278.

53) ἀνδρῶν γάρ ἐστιν ἐνδίκων τε καὶ σοφῶν ἐν τοῖς κακοῖσι μὴ τεθυμῶσθαι θεοῖς. Aesch. fr. 315.

54) ἐς τὸ πᾶν δέ σοι λέγω, βωμὸν αἴδεσαι δίκας, μηδέ νιν κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτισῃς. Aesch. Eum. 529; — δαιμόνων ἔδη σέβων. Soph. O. R. 686.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

repulit (Bacch. 45, cfr. Andr. 260). Itaque Minerva magna se affectam esse contumelia confitetur, quod templum suum violatum sit (Troad. 69), Graecorum naves se disiecturam esse, ut in posterum templa revereri et deos venerari discant Achivi (Troad. 85); stultus autem est, qui urbibus expugnatis deorum templis non parcit, nam templa sepulcraque, sacraria defunctorum, si solitudini tradiderit, paullo post ipse peribit (Troad. 95 sq.), atque dei ipsi urbem expugnatam relinquere putantur „ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή, νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει[55]) (Troad. 25). Eam ob rem dei sunt colendi (Hippol. 107, Bacch. 342),[56]) nullius enim laboris est deos venerari (fr. 894), et Hippolytus id potissimum gloriatur, quod didicerit deos colere (Hippol. 996), atque Cadmus dicit, deos a se non contemni, cum sit mortalis homo, nec aliter sentit Tiresias, vir sapientissimus, cum dicat „οὐδὲν σοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσι· πατρίους παραδοχὰς ἃς θ' ὁμήλικες χρόνῳ Κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος· Οὐ γὰρ διῄρηχ' ὁ θεὸς εἴτε τὸν νέον Ἐχρῆν χορεύειν εἴτε τὸν γεραίτερον, Ἀλλ' ἐξ ἁπάντων βούλεται τιμὰς ἔχειν Κοινὰς, δὶ ἀριθμῶν δ' οὐδὲν αὔξεσθαι θέλει (Bacch. 199 sqq.); atque illos, qui suam potestatem honorent, se ipsam honoraturam esse Venus dicit (Hippol. 5);[57]) et ut deorum cultu animi hominum magis magisque imbuantur, eius rei cura singulari cuidam deae (Ὁσίᾳ) mandata est, quae omnes sanctas caeremonias totumque morem deorum colendorum tuetur et observat, ne ab hominibus violetur, quae dea quasi Δίκη quaedam τῶν ὁσίων καὶ νομίμων aureas pennas fert, ut per totam terram suum munus persequatur (Bacch. 370 sqq.). Itaque modestum esse et colere res divinas pulcherrimum et sapientissimum esse poeta putat (Bacch. 1150 sqq.), deorum enim curae, cum animos hominum subeant, iis dolores auferunt (Hippol. 1103).[58])

Primum autem dei honorantur sacrificiis,[59]) quae iis propter varias causas offeruntur, vel pro educatione liberorum, vel pro futura prole (El. 626) vel pro felici belli eventu (Heracl. 400), vel pro alia quadam re; is autem, qui sacrificaturus erat, lavacris puris, ex fluvialibus undis exhaustis, antea lustrandus erat, tum alii vas afferebant, in quod sanguis hostiarum infunderetur, alii ferebant canistra, alii ignem lustralem accendebant, deinde is, qui sacra facturus erat, dum molam salsam sumtam in aras ignemque lustralem spargit, et cultro, qui in canistro iacebat, hostiae pilos resectos dextra manu in igne imponit, clara voce eas res exclamans, quas perfici volebat, in humero hostiam percutiebat, dum ministri eam ad aram manibus tollunt (El. 790—815 cfr. Iph. A. 1111—1115). Eis autem sacris nec interesse nec adesse cuiquam licet, qui est impurus,[60]) id est, qui aliqua macula est adspersus

---

55) ἀλλ' οὖν θεοὺς αὐτοὺς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος. Aesch. Sept. 201 cfr. 286. —

56) τοῦτο ἐννοεῖσθ', ὅταν πορθῆτε γαῖαν, εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεοὺς· ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ Ζεύς· ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς Soph. Phil. 1442 sq.; — χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς μηδὲν ἀσεπτεῖν Ant. 1349, cfr. El. 1095. O. R. 863, O. C. 278. —

57) πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει. Aesch. Sept. 77 cfr. 103. —

58) εἰ δ' εὖ σέβουσι τοὺς πολισσούχους θεοὺς τοὺς τῆς ἁλούσης γῆς θεῶν θ' ἱδρύματα, οὐτᾶν ἑλόντες αὖθις ἀνθάλοιεν ἄν. Aesch. Ag. 323 sq. cfr. Choeph. 627, 870; τὰ θεῶν μηδὲν ἀγάζειν suppl. 1033.

59) μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐδώρων ἐρῇ, οὐδ' ἄν τι θύων, οὐδ' ἐπισπένδων ἄνοις, οὐδ' ἔστι βωμὸς, οὐδὲ παιωνίζεται Aesch. fr. 168. — θεῶν δ' αὖ πάνθυτα δέσμι' ἐξήνυσ' εὐνομίᾳ σέβων μεγίστῃ. Soph. Ai. 714, cfr. Phil. 7.

60) τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν, ἰὼ γαῖα, γαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει δύσθεος γυνά. Aesch. Choeph. 40. — τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστὶ, γῆς τῆσδε ..... μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν. Soph. O. R. 236 sqq. cfr. El. 443. —



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„ἐγὼ γὰρ, ὅστις μὴ δικαῖος ὢν ἀνὴρ Βωμὸν προσίζει, τὸν νόμον χαίρειν ἐῶ, Πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἂν οὐ τρέσας θεούς· (fr. 871 cfr. fr. 201 ed. Matth.); eam ob rem cum omnia, quae Mors tetigit, diis superis invisa sint, Alcestidem, quod aliquamdiu inter mortuos commorata sit, priusquam sese expiaverit, sacris adesse nefas est (Alc. 1145); et cum Hercules, propter liberorum caedem diis obnoxium magnam se culpam contraxisse (Herc. fur. 1255—1311) et religionem sibi esse, liberos a se ipso interfectos sepulturae mandare (Herc. fur. 1360) dicat, Theseus manus eius a piaculo se purgaturum pollicetur (Herc. fur. 1324).[61]) —

Sed non solum homines impuri, si sacrificio adesse volebant, caede erant caeremoniis quibusdam lustrandi, verum etiam locus, ubi caedes peracta erat, quod loco polluto sacra rite fieri non poterant (Herc. fur. 923). Omnino quicunque erant impii, eos orgiis vel deorum mysteriis initiari nefas erat (Bacch. 472), mysteria enim deorum eum, qui impietatem profiteatur, aversantur (Bacch. 476).[62]) Sed noxa eorum, qui caede vel macula erant polluti, etiam latius patebat, eos nec alloqui nec cum iis esse eodemque loco commorari ius fasque erat,[63]) quidquid quispiam piaculo obnoxius tetigit, id ipsum est impurum et impium, itaque nec telluri eum ferre nec mari eum tolerare licet; et dei ipsi iniuste agerent, si interfectoribus benevoli essent (Iph. A. 1189); Hercules igitur liberis occisis maximam quondam calamitatem se nacturum esse dicit, φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με, μὴ θιγγάνειν γῆς, καὶ θάλασσα, μὴ περᾶν πηγαί τε ποταμῶν (Herc. 1295); et Hermione Andromacham gravissime vituperat, quod ausa sit cum filio eius patris, qui suum maritum interfecerit, concumbere et liberos ex interfectore eius parere (Andr. 170 sqq.); et Tyndarus iratus Menelaum generum suum interrogat, num Orestem, scelestum caput, allocutus sit atque Menelao, excusanti, id se fecisse, quod ille cari sibi patris filius sit, respondet, factum eum esse barbarum hominem, inter quos diu fuerit, Graeciae et legum et institutorum immemorem (Or. 481 sq.), eumque admonet, ne diis contraria faciat, illum iuvare volens (Or. 535). Cum Orestes Minervae admonitu, ut a caede matris purgaretur, Athenas venisset, primum quidem eum nemo ultro excepit tanquam diis invisum, qui vero verecundiam ac misericordiam habebant, mensam hospitalem solitariam praebuerunt, cum sub eodem tecto essent, sed silentio effecerunt, ut omnis colloquii expers a cibi potionisque communione esset separatus (Iph. T. 947 sqq. cfr. Or. 428); Creon veritus, ne quid mali patriae accidat, Oedipum, cum nefariis illis sceleribus peractis impurus sit, e patria eiicit (Phoen. 1594). Itaque chorus Medeam a consilio liberorum interficiendorum deterrere conatur, cum dicat „πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν ἢ πόλις ἢ φίλων πόμπιμός σε χῶρα τὰν παιδολέτειραν ἕξει, τὰν οὐχ ὁσίαν, μετ' ἄλλων (Med. 846 sq. cfr. El. 1194 sq.).

Ea autem, quae deis offerebantur, varia erant, vel pecora (Hel. 1260), vel quotquot tellus pulchra profert germina (1265) vel arma (1263) vel vinum (Ion 1178) vel alia eiusmodi; etiam homines prisco tempore sacrificari, quaedam extant vestigia, ut Iphigeniam, Menoecum, Polyxenam, sed minime sunt deis grata sacrificia humana (Iph. T. 450, Troad. 267) cfr. Naegelsbach p. 196 sqq. — Si verum animantia sacrificanda erant, omnibus vinculis ea libera esse fas erat, ut ultro se obtulisse videri possent (Iphig. T. 468); sed omnium primum id videndum

---

61) θοῦ νῦν καθαρμὸν τῶνδε δαιμόνων, ἐφ' ἃς τὸ πρᾶτον ἵκου καὶ κατέστειψας πέδον. Soph. O. C. 466. —

62) cfr. Soph. O. C. 10—126. —

63) cfr. Soph. O. R. 237 sq. 817, 1381 sq. O. C. 944, 1227.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat, ut sacrificia essent integra, ne quid degenerum diis offerretur (Hel. 1259);[64]) itaque Haemon, cum virgini sponsus, quamquam torum nuptialem non tetigerat, iam non caelebs deoque non integer esset, pro patriae salute sacrificari non potuit (Phoen. 945 sqq.). Inter sacrificandum omnes linguis favere iubebantur,[65]) nam voce male ominata sacrificium disturbabatur (Ion 1189), neque magis in sacris decebant lacrymae (Iph. A. 1190); sacerdotes quidem sancti erant atque adeo ut ne capillos quidem violari liceret (Bacch.), sed pia mente arcana silere iussi sunt (Iph. T. 37). —

Alia via a deis aliquid poscendi et impetrandi per preces patebat; ratio autem precandi apud Euripidem fere eadem est, quae apud alios poetas veteres invenitur; putabant enim tunc homines, a deis se nihil impetrare posse, nisi ipsi antea iis dona vel magna vel parva obtulissent ita ut dei tum demum preces hominum exaudivisse viderentur, si beneficiis acceptis ad misericordiam commoti vel coacti erant;[66]) itaque Heraclidae sperant, fore ut Minerva se ab iniuriis Argivorum defendat „*ἐπεί σοι* (Minervae) *πολύθυτος ἀεὶ τιμὰ κραίνεται, οὐδὲ λήθει μηνῶν φθινὰς ἁμέρα, νέων τ' ἀοιδαὶ χόρων τε μολπαί· ἀνεμόεντι δὲ γᾶς ὀχθῳ ὀλολύγματα παγκλοίοις ὑπὸ παρθένων ἰαχεῖ ποδῶν κρότοισιν* (Heracl. 775 sqq.), et Electra conqueritur, preces suas neminem deorum exaudire, nec veterum sacrificiorum a patre oblatorum rationem habere (El. 197 sq. cfr. Herc. fur. 499, Alc. 251); quamquam autem iniustorum hominum preces deis gratae non sunt, tamen pro scelestis deprecari piis licet (Bacch. 360). —

Sed non solum dei ipsi hominibus sunt auxilio, verum etiam res, quae ad deorum honorem cultumque institutae sunt; imprimis templa et arae,[67]) in quibus dei honorantur, asylum quoddam sunt, in quod omnibus miseris aditus patet „*ἅπασι κοινὸν ῥῦμα δαιμόνων ἕδρα*“ (Heracl. 260), itaque supplices, ne ab inimicis deprehenderentur, sacros ramos manibus gestantes arasque iis coronantes (Heracl. 124, 226, 440) in templis ad aras deorum considebant,[68]) rati, deos sibi ita patrocinaturos esse „*δειμαίνουμένη δ' ἐγὼ Δίμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον Θάσσω τόδ' ἐλθοῦσ', ἢν με κωλύῃ θανεῖν* (Andr. 42 sq. cfr. Heracl. 33, 61). — Ii supplices cum in potestate et quadam deorum possessione esse putarentur, ne ab ullo homine violarentur, omnibus legibus institutisque tam graviter praeceptum erat (Ion 1256), ut is, qui supplices laedere et ab aris deorum violenter trahere iisque vim afferre auderet, deos ipsos violasse et contempsisse diceretur (Heracl. 78, 101 sq.);[69]) si enim deorum supplices vim patiuntur et rami eorum polluuntur, magnum urbi fit probrum et deorum contumelia (Heracl. 70 sq.), nec veneranda *Δίκη* id tolerabit (Heracl. 104); qui autem preces supplicantium peragit, is erga deos pie facit (suppl. 1—102); recte igitur Aethra Theseum filium primum

64) *ταυροκτονεῖ μὲν δώδεκ' ἐντελεῖς ἔχων, λείας ἀπαρχὴν, βοῦς.* Soph. Tr. 760.

65) cfr. Aesch. Ag. 614, 1204, Eum. 284, 1017.

66) *ἄναξ Ἀπόλλον, ἵλεως αὐτοῖν κλύε, ἐμοῦ τε πρὸς τούτοισιν, ᾗ σε πολλὰ δὴ ἀφ' ὧν ἔχοιμι λιπαρεῖ προὐσίην χερί.* Soph. El. 1376; — *ἱερῶν οἵων οἵαν ἐπί μοι μελέῳ χάριν ἤνυσας, ὦ Ζεῦ.* Tr. 995, cfr. Ant. 1185.

67) *ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρχαῖα βρέτη, θεοῖς πίσυνος.* Aesch. Sept. 193 cfr. suppl. 695. —

68) cfr. Soph. O. R. 1—143.

69) *δίκας δὲ Παλλὰς τῶνδ'* (supplicum) *ἐποπτεύσει θεά.* Aesch. Eum. 223; — *τίς δῆτ' ἂν ἀνδρὸς εὐμένειαν ἐκβάλοι τοιοῦδ', ὅτῳ πρῶτον μέν ἡ δορύξενος κοινὴ παρ' ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία; ἔπειτα δ' ἱκέτης δαιμόνων ἀφιγμένος γῇ τῇδε κἀμοὶ δασμὸν οὐ σμικρὸν τίνει.* Soph. O. C. 631 sqq. cfr. 1007, 1174, 1273 Ai. 1146. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quidem deorum placita considerare iubet, tum supplicibus quae velint perficere (suppl. 301 sq.); atque eius deorum tutelae memor Creusa, quamquam Ionem filium interficere voluerat, tamen dei nomine, ad cuius aram stabat, cum iam esset deo sacra, filio interdixit, ne se occideret (Ion 1283 sqq.); et Andromacha Hermionae imperanti, ut sanctum templum deae marinae relinqueret, respondit, tum demum se relicturam esse, si vitam suam incolumen ipsam servaturam esse polliceretur, sin minus, nunquam se exituram esse (Andr. 254 sq.); atque Ioni tanta erat religio ea, quae praesidio deorum tuta erant, violandi, ut aves, quae sub templi pinnis pullis nidum positurae erant, cum in fidem deorum receptae esse viderentur, interficere vereretur (Ion 179). Eadem qua supplices reverentia hospites quoque coli, quos laedi nec deos nec homines deceat, commemorasse sufficiat, quorum officiorum hospitalium saepe in fabulis Euripideis mentio fit (Hec. 715, 850 sq. fr. 312).[70] —

§. 6.

Iam cum satis explicatum esse videatur, quales Euripides deos finxerit, consideremus, quae officia ergo deos nobis sint exsequenda, et quae praemia nos in officiis remanentes, quae poenae ab iis discedentes expectent. Supra iam dictum est, primos ab hominibus deis deberi honores et sacrificia iis offerenda esse supplicationesque nec vim eorum et voluntatem impugnari licere; aliud erat officium supplicibus miserisque deorum causa patrocinari et hospites benigne excipere; neve quis ullam cum impiis impurisque communionem haberet, cavebatur, sed unusquisque deorum iustitiam aemulari studeret. Nec minus contra officium est, deorum honores assequi conari, quidquid enim mediocritatem superat, morbos parit (fr. 82),[71]) deinde homines vim vel superbiam ne exerceant; odit enim deus violentiam omnem (Hel. 904) et superbiam immodicosque fastus coercet (Phoen. 183, Heracl. 387),[72]) nec homines deis plus sapere sinit (Heracl. 258); tum nemo deos contemnere debet (Bacch. 199), ab omnibus enim honorari vult deus (Bacch. 204); oportet igitur homines deorum praecepta sequi,[73]) ne quis iis neglectis offendat (suppl. 301), praeceptis enim quisquis audiens non paret, is non recte sentit (Iph. T. 1475 sq.), quidquid deinde agendum est, a diis est ordiendum, nam quid deis invitis et dissentientibus inceptum erit, nunquam ad felicem exitum perducetur (suppl. 157, fr. 360); atque ne quis unquam contra deos pugnet, Tiresias monet (Bacch. 325), quod ne fiat, grave exemplum est Pentheus, qui summo a Baccho affectus est supplicio, quod ipse homo contra deum in certamen congredi ausus erat (Bacc. 635); cum autem res adversae acciderint, viri iusti et sapientes diis non irascentur (fr. 902), sed deos colere pergent, sperantes, digna virtutis praemia se adepturos esse (Ion 1620); minime vero calamitatibus pressos decet, superbe fari et pristinae fortunae respicere decus (fr. 80). Ne autem quis putet, satis esse ad bene feliciterque vivendum, deos pie coluisse, et deos hominibus sine aliquo eorum labore res secundas concedere, poeta graviter diserteque praecipit, ignavus enim homo, licet

---

70) ἐχθρόξενος τε καὶ θεῶν ἀμνήμων. Aesch. Sept. 587.

71) παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν. Aesch. Eum. 522. —

72) τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόνητα σώματα πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυςπραξίαις ἔφασχ' ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φύσιν βλαστὼν ἔπειτα μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ. Soph. Ai 758 sq.

73) cfr. Soph. Ant. 454 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deos semper in ore habeat, victum suum colligere non poterit sine labore (El. 80), sed ipsi homines, deos precati, omnibus nervis laborare debent, ut quod velint impetrent „*αὐτός τε νῦν δρᾶ, χοὔτω δαίμονας κάλει· τῷ γὰρ πονοῦντι χὠ θεὸς συλλαμβάνει*“ (fr. 730) „*οὐκ ἂν δύναιο μὴ καμὼν εὐδαιμονεῖν* (fr. 464). Praeclare igitur saepe admonetur, eum solum, qui ipse ad agendum strenuus et promptus sit, a deo adiuvari „*φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός* (fr. 1060), nimius autem agendi ardor, quippe quem deus oderit, est evitandus (Or. 708). —

Deinde poeta non solum amorem reverentiamque deorum hominibus commendat, sed etiam ad amorem parentum legumque obedientiam omnium animos permovere studet „*τρεῖς εἰσὶν ἀρεταί, τὰς ἐχρῆν σ' ἀσκεῖν, τέκνον, Θεούς τε τιμᾶν, τούς τε φύσαντας γονεῖς, Νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν, Κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί* (fr. 221); imprimis autem hominum officium est, parentes pie honorare ac diligere, quisquis enim parentes in vita veneratur, is et vivus et mortuus diis placet[74]) (fr. 885, cfr. fr. 340); atque parentibus ipsis nihil iucundius salute liberorum esse debet „*εἷς γάρ τις ἐστὶ κοινὸς ἀνθρώποις νόμος, Καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω, Θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν* (fr. 335, cfr. fr. 336, suppl. 506, Ion 473).[75]) —

Ea officia legesque qui tuetur et observat, diis gratus et acceptus est et dignum pretium accipiet,[76]) qui vero quid eorum violavit, diis est invisus et aliquando debitas poenas solvet; facile autem deus pios et impios dignoscere potest, nam *ὀξὺς θεῶν ὀφθαλμὸς ἐς τὰ πάντ' ἰδεῖν* (fr. dub. 18. ed. Matth.). Ii igitur, quibus pietas et iustitia grata est in vita, facile e calamitatibus servantur „*οἷσιν δ' ὅσιον καὶ τὸ δίκαιον φίλον ἐν βιότῳ, τούτους χαλεπῶν ἐκλύοντες μόχθων σώζομεν* (*θεοί*) (El. 1351 sqq. Alc. 604);[77]) et quem dii diligunt, eum iuvare solent (Iph. A. 1611) sine ullo discrimine, utrum quis dives sit an pauper, dummodo sit pius (fr. 1015); diis enim curae sunt pii et impii, sed utrique pro eo ac meriti sunt[78]) (Herc. fur. 773), itaque si Thebani in Bacchum sapere voluissent, se ipsum socium adeptos illos felices futuros fuisse, Bacchus ipse contendit (Bacch. 1341 sq.), magnae enim sunt hominibus divitiae deos colentibus (fr. 256); beatus igitur ille est, qui ratione praeditus deum colit, id quod magnum ei lucrum affert (fr. 262)[79]) nec quisquam est hominum, qui felix sit, nisi cui dei in plerisque rebus consentiant, id est, nisi qui deorum placita observet (fr. 136). Itaque chorus Electram admonet, ut tandem a lacrymis abstineat et ad deos colendos se convertat, neque enim gemitu, sed deos colendo precibusque venerando eam nacturam esse felicitatem et hostibus superiorem fore (El. 192 sqq.), et Teucer, ab Helena vi iniuriisque

---

74) *τὸ γὰρ τεκόντων σέβας τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις δίκας γέγραπται μεγιστοτίμου.* Aesch. suppl. 674, 407; cfr Eum. 154; *ὅπου γὰρ οἱ φύσαντες ἡσσῶνται τέκνων, οὐκ ἔστιν αὐτῇ σωφρόνων ἀνδρῶν πόλις.* Soph. fr. 703; cfr. Naegelsbach l. c. p. 275 sqq.

75) *τί γὰρ πατρὸς θάλλοντος εὐκλείας τέκνοις ἄγαλμα μεῖζον, ἢ τί πρὸς παίδων πατρί.* Soph. Ant. 703.

76) *τῷ πονοῦντι δ' ἐκ θεῶν ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ πόνου κλέος.* Aesch. cfr. 377, cfr. Choeph. 953, Ag. 581, 604 sq.; — *ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται, πανώλεθρος δ' οὔποτ' ἂν γένοιτο.* Eum. 541; cfr. Soph. Ai. 132. —

77) *δεινὸς δς θεοὺς σέβει.* Aesch. Sept. 577.

78) *ἑτερορεπὴς (Ζεύς), νέμων εἰκότως ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ' ἐννόμοις.* Aesch. suppl. 387, cfr. Ag. 918, Soph. fr. 447. —

79) *κρατείτω δ' ἔπος τὸ θεῖον τὸ μὴ μ' ὑπουργεῖν κακοῖς.* Aesch. Choeph. 952.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Protei liberatus, certam spem habet, cum ipse gratiam reddere non possit, deos Helenam pro beneficiis acceptis remuneraturos esse (Hel. 158 sq.), nunquam enim fore, si dei sapientes et iusti sint, ut probi homines in calamitatibus a diis deserantur (Hel. 851 sqq. cfr. Phoen. 86). In praemiis, quae in bonos viros conferuntur, hoc quoque numerari potest, quod a deis digni habentur, quibus deos contra intueri liceat, quod improbis nunquam conceditur (Bacch. 502. cfr. Ion 1551, Rh. 890).

Multo autem gravius et disertius Euripides pronuntiat, fieri non posse, quin improbi aliquando pro peccatis sceleribusque poenas daturi sint „*διὰ δίκας ἔβα θεῶν νέμεσις ἐς Ἑλένην* (Or. 1361), „*τῶν φρονημάτων ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων* (Heracl. 387, cfr. El. 1169), „*συγγνώμονάς τοι τοὺς θεοὺς εἶναι δοκεῖς, ὅταν τις ὅρκῳ θάνατον ἐκφυγεῖν θέλῃ, ἢ δεσμὸν ἢ βίαια πολεμίων κακά, ἢ παισὶν αὐθέναισι κοινωνῇ δόμων*; (fr. 838);[80]) licet enim improbi saepe diu impunes maneant, nunquam meritam poenam effugient, „*χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, ἐς τέλος δ' οὐκ ἀσθενῆ* (Ion 1615)," „*σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ* (ἡ *Δίκη*) *στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ* (fr. 837)," „*Δίκα τοι Δίκα χρόνιος· ἀλλ' ὅμως ὑποπεσοῦσ' ἔλαθεν, ὅταν ἔχῃ τιν' ἀσεβῆ βροτῶν* (fr. 220); occultis enim insidiis dei callide tardum temporis pedem celant et venantur impium (Bacch. 888 sq. cfr. 883)[81]) et iniuriam iustitia inferiorem deus reperire solet (Ion 1118). Cum autem iustitia tarde quidem incedere, sed in tempore impios assequi dicatur (Bacch. 991), eam ipsam temporis filiam esse chorus dicit „*τὴν τοι Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι χρόνου· δείκνυσι δ' ἡμῶν, ὅστις ἐστ' ἢ μὴ κακός* (fr. 217), et tempus ipsum malos homines aliquando, cum fors tulerit, ostendere perhibetur „*κακοὺς δὲ θνητῶν ἐξέφηνε, ὅταν τύχῃ, προθεὶς κάτοπτρον ὥστε παρθένῳ νέα χρόνος* (Hippol. 428 sq.), „*χρόνος δὲ δείξει σ', ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σε γ' ἢ κακόν* (fr. 64). Certum igitur est, invisorum hominum fortunam deum in contrarium convertere nec eos alte spirare sinere (Andr. 1007 cfr. Phoen. 183), et si quis mortalium improbus sit deorumque cultum neglexerit, a diis eum puniri (Ion 440, Iph. A. 24); quisquis igitur hominum deos se latere posse putat, licet quotidie mali quid faciat, is prave sentit itaque sentiens convincitur, nam ubi primum vocare coepit iustitia, supplicium sumit ob mala, quae ille commisit (fr. 825, cfr. *ἢ νυν φρονεῖν ἄμαινον ἐξαύχει Διὸς, ἢ θεοὺς δικαίως τοὺς κακοὺς ἀπολλύναι*. suppl. 504 sq.). Itaque chorus timet, quod certamen Argivorum non sit iniustum, ne divina vindicta exercitum Thebanum capiat (Phoen. 257); atque si quis in sublime elatus splendidis divitiis genereque superbiat et supercilia supra sortem suam tollat, eius sceleris poena mox expectanda est, (fr. 858, cfr. Andr. 492). Saepe autem fit, ut dei ei homini, quem perdituri sint, insaniam iniiciant, qua celerius extinguatur,[82]) „*ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά, τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρένων τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν*

---

80) *λιτὰν δ' ἀκούει μὲν οὔτις θεῶν· τὸν δ' ἐπίστροφον τῶνδε φῶτ' ἄδικον καθαιρεῖ.* Aesch. Ag. 379 sqq. cfr. 354 sq., 330; Pers. 809, Sept. 422; — *ἢ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷς θεούς; οὐκ ἔστιν.* Soph. Ant. 287, cfr. 855; — *τούτων σε λωβητῆρες ὑστεροφθόροι λοχῶσιν Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐρινύες* Ant. 1074 sq.; cfr. Phil. 594, 1035, O. C. 275. El. 210, 247 sq., 824 sq., 1384.

81) *χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.* Aesch. suppl. 702, cfr. Choeph. 637, fr. 364; *θεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὀψὲ δ' εἰσορῶσ', ὅταν τὰ θεῖ' ἀφεὶς τις εἰς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ.* Soph. O. C. 1536.

82) cfr. Aesch. Sept. 634, Pers. 742; *καί μοι δυςθεράπευτος Αἴας ξύνεστιν, ἔμεδρος, ὦ μοί, θείᾳ μανίᾳ ξύναυλος.* Soph. Ai. 609, cfr. Ant. 620, 1274, O. C. 371.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

χειρω τρέπει γνώμην, ἵν' εἰδῇ ὧν ἁμαρτάνει (fr. dub. 29 ed. Matth.), et iis, qui superbius sentiunt, vanam alicuius rei speciem obtendunt, qua eos deludant et ad errorem committendum instigent (Med. 1284 cfr. Hippol. 237)[83]. Sed dei non solum suas iniurias ulcisuntur, verum etiam omnium iniuriarum, quibus infirmi a potentioribus afficiuntur, vindices sunt dei (Med. 158 cfr. 802),[84]) quibus autem irascitur deus, iis magnae calamitates imminere solent (Med. 129, Hec. 1039); itaque quam maxime dolendum est, si homines non magnam dent operam, ne deorum indignatio ingruat[85]) (Iphig. A. 1047). Multa autem reperiuntur in fabulis Euripideis exempla gravissimarum poenarum, quibus impii ob delicta sua a diis afflicti sunt; Helena conqueritur, procul a patria dei opera se abigi, quod domum torumque reliquerit (Hel. 695), et Menelaus lamentatur, quamvis in patriam redire cupiat, tamen se indignum iudicari, qui id a diis consequatur (Hel. 403); gravis magnae deae ira in Helenam incidit, quod sacrificiis deos non honoraverit (Hel. 1355 sq.); Minerva exercitui Argivorum tristem reditum se immissuram esse minatur, quod se suumque templum illi contumeliose tractaverint (Troad. 69, 84 sq.); Adrastus exercitum perdidit, quod, cum vates oracula clamarent, ipse iis contemtis diisque invitis Argivos iuvenes contra Thebanos duxisset (suppl. 229); Clytaemnestra iustissimam occisi mariti poenam luit (El. 1185 sq.); et Neptunus ipse dicit, iure Agamemnonem periisse, quod nec deum Apollinem veritus nec pietatem per vim adulterino concubitu Cassandram duxerit (Troad. 43); itaque cum Atreus et Thyestes nefaria illa scelera perpetravissent, Iuppiter, ut magnam suam indignationem ostenderet, formam totius naturae mutavisse et lucida astra solemque a consuetis viis avertisse dicitur (El. 726 sqq.) —

At in supplicio iniustorum vindicta deorum non consistit, sed ut ultrix eorum iustitia expleatur, ne probus quidem vir, qui cum improbis aliquam inierit societatem, incolumis manet, sed una perit[86]) „κοινὰς γὰρ ὁ θεὸς τὰς τύχας ἡγούμενος, τοῖς τοῦ νοσοῦντος πήμασι διώλεσε τὸν οὐ νοσοῦντα κοὐδὲν ἠδικηκότα (suppl. 226); „χρῆν γὰρ οὔτε σώματα ἄδικα δικαίοις τὸν σοφὸν συμμιγνύναι (suppl. 223); itaque Andromacha putat, cum Paris mortem effugerit, ceteros Troianos, quod ille deliraverit, nunc luere, quod cum illo commercium habuerint (Troad. 592). Imprimis vero a liberis nepotibusque poenae expetuntur pro patrum avorumque sceleribus, „τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους θεοὶ τρέπουσιν[87]) (fr. 949); τούς γε μὴν κακοὺς αὐτοῖς τέκνοισι καὶ δόμοις ἐξόλλυμεν (Hippol. 1340 cfr. 819); solet enim scelus a patre ad liberos transire „κοιναὶ πράξεις, κοινοὶ δὲ πότμοι, μία δ' ἀμφοτέρους ἄτη πατέρων διέκναισεν· (El. 1305 sq.) id est, una parentum noxa vos ambo perdidit, vos enim communionem quandam facinorum parentum habetis;“ dolor igitur in aedibus Tantalidarum ad dolorem, ad caedem caedes accessit et gravis quaedam deorum ira contra semen Tantali efferbuit et omnes posteros per aerumnas ducit propter proavi in deos delicta „ἄλλαις δ' ἄλλα προςέβα χρυσέας

---

83) cfr. Aesch. Ag. 457;

84) saepe verba videndi, adspiciendi, sciendi de diis usurpantur iniuste factorum poenas exigentibus; vid. Klotz. ad Phoen. 155. Andr. 258.

85) ὑπέρκοτον μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος. Soph. Ai. 127, cfr. 666. —

86) πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ 'δάμη. Aesch. Sept. 584—590.

87) τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ. Aesch. Ag. 728; τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν πρὸς τάςδ' ἀπάγει. Eum. 921, cfr. suppl. 417—420, Soph. O. C. 1299. —



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀρνὸς μελάθροις ὀδύνα· ἔνθεν τῶν πρόσθεν δμαθέντων Ταντα̃λιδῶν ἐκβαίνει ποινά τ' εἰς οἴκους, σπεύδει τ' ἀσπούδαστ' ἐπὶ σοὶ δαίμων (Iph. T. 195 sqq. cfr. 987 sq. fr. 86); nec ex quo Pelops caedem Myrtili patravit, eum in tumidum mare deiiciens, inde luctuosa ἀρὰ domum Atridarum desiit urgere ac vexare et ultima in Orestem eiusque patrem propter aerumnosum domus fatum venit (Or. 987—1012); ob eandem causam iam diu terra Thebanorum laborat, quod Laius liberos procreavit invitis deis et maritum genuit matri, miserum Oedipum (Phoen. 867 cfr. 379). Suo igitur iure Hercules dicit „ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους (Herc. fur. 1261).[88]) Ea autem est deorum adversus homines ira (κότος) vel invidia (φθόνος) vel ultio (νέμεσις) quae homines nimis superbire non patitur et singulos pariter ac totas gentes, auream mediocritatem negligentes, poenis affligit, (Alc. 1135, Or. 974, fr. 859). —

Praeterea dei vitam humanam omni apparatu, quo homines a bestiis differunt, exornaverunt; ac primum quidem mentem, deinde nunciam sermonis, linguam, dederunt, ut homines voces agnoscerent, et nutrimentum frugum et frugibus de coelo humidas guttas miserunt, ut quae ex terra nascuntur, alerent et telluris ventrem rigarent; tum etiam frigoris munimenta praebuerunt et ad aestum solis arcendum; et maris navigationem ostenderunt, ut commercia haberent inter se terrae earum rerum, quarum aliae indigerent; atque etiam futura nobis per vates indicant (suppl. 201—214). Nec minor in republica administranda deorum vis agnoscitur[89]) (Phoen. 1197); omnium enim fortunas dispensant (suppl. 611) et quamquam procul aethera incolunt, tamen res mortalium intuentur (Bacch. 391); atque dei non solum omnia regunt, sed etiam legem, qua omnia in hac terra reguntur, constituerunt „θνητοὶ θεῶν νόμοισι χρώμεθα (Hippol. 98) πῶς οὖν δίκαιον τοὺς νόμους ὑμᾶς (θεοὺς) βροτοῖς γράψαντας αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν (Ion 443). —

Haec fere sunt, quae generatim atque universe de omnibus deis exfabulis Euripideis erui possunt; quid autem eorum, quae exposui, singulorum deorum sit proprium et quae uniuscuiusque dei sit singularis vis virtusque, ea singula in singulis deis ostendam; sed cum ad finem, qui huic dissertationi propter sumptus positus est, me iam pervenisse putem, alteram disputationis partem in aliud tempus aliamque occasionem reponere coactus sum. —

---

88) οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ δεύθεν δόμος, ἄτας οὐδὲν ἐλλείπει, γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον. Soph. Ant. 584 sq.

89) cfr. Aesch. Ag. 352, 880; Pers. 340; Sept. 92, 154, 216, 249, 1000; Choeph. 66, 208; Soph. Ant. 162.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf